



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>





R322/4




74 y

Artis diuinatricis, QVAM ASTROLOGIAM SEV iudiciariam vocant, encomia & patroci- nia, quorum Catalogum sequens pagella continet.

auctore Gervasio Marstallero



PARISIIS,
Excudebat Christianus Wechelus, sub Pegaso, in
vico Bellouacensi, Anno salutis
M. D. XLIX.



THEOREMATA GERVASII MARSTAL-
leri Brisgoici, quibus iuxta methodum dialecticam ostendit,
quidnam sit de arte diuinatrice, quam Astrologiam seu iudi-
ciariam vocant, sentiendum.

Eiusdem argumenti.

Præfatio Philippi Melanthonis in lib. Io Schoneri de iudi-
ciis natiuitatum.

Pars præfationis eiusdem in sphæram Io. de sacrobosco.

Pars præfationis eiusdem in tabulas resolutas Schoneri.

Oratio Milichii de Astrologia,

Pars præfationis Schoneri in canones Vuerneri
de mutatione auræ.

Verba Pitati ex Ephemeridib desumpta.

Præfatio Ioachimi Helli in Isagogen Astrologi-
cam Io. Hispalensis.

Aassertio Eberhardi Schleusingeri.

Tria priora capita primi lib. quadripartiti Ptolemæi.

Trapezontii libellus.

Dialogus Iouiani Pontani.

Epigramma Geruasij Marstalleri.

An vis stellarum regat inferiora, genusq;

Possit an humanum lege tenere sua:

Illaque num certa veniat ratione notanda,

Qui tecum dubitas, hæc lege, certus eris.

Non tibi commendant sortes, non somnia vulgi,

Dæmonis astuti præstigiâs ve graues.

Sed cœlo impressas mox prima ab origine vires:

Qua nos afficiant conditione modo.

Vires: quas patres sancti obseruare solebant,

Quas minime ignotas vult deus esse suis:

Quæ notæ pariunt ingentia commoda nobis,

Dum mala vitanda, & recta sequenda monent.

DOCTISSIMO VIRO D. ORON-
 tio Finæo Delphinati, disciplinarum mathe-
 maticarū peritissimo, & regio in Academia
 Parisiensi professori, amico & præce-
 ptori suo modis omnibus colendo,
 Geruasius Marstallerus
 S. P. D.



Yòd medicis Hippocrates iuramē-
 to suo iniungit, vt artis suæ præce-
 ptiones omnes liberè & fideliter
 tradant suis, & præceptorum suo-
 rum liberis, cæterisq; discipulis, qui se legib.
 medicinæ astrinxerint, atque iurati fuerint,
 alii præterea nemini: id in genere ab omnibus
 omnium bonarum rerū professoribus haud
 dubiè voluntas diuina resq; ipsa flagitant &
 exposcunt. Ea autem consuetudo cū à pri-
 mæ ætatis hominibus religiosè ac diligenter
 obseruata fuerit, factum est, vt per manus po-
 tius quàm per scripta, sicut adhuc hodie fit in
 mechanicis, artes huiusmodi traditæ sint
 posteris: tādē verò vbi talis professio in vfu
 esse desiit, cœperunt paulatim, deficientibus
 peritis artificibus, aliisq; circumforaneis em-
 A ii piricis

piricis subrepentibus, disciplinæ turbâri & languesceri. Fuit autē hæc negligentia & corruptela mathematicis præcipuè perniciosissima. Nam eæ, postquam semel perierant, non potuère sine longa & exquisita multorum temporum atque artificum animaduersione collationeque recuperari. Cæterę tamen partes, excepta diuinatrice, quam Astrologiam vocant, cū habeant principia magis obuia, demonstrationesq; euidentiores, facilius sunt restitutę et instauratę. Qua in re tibi (ne quid de cæteris hīc dicam) & ipsę artes, & nos omnes plurimum debemus. Tu enim pro ingenii tui (hac in re potissimū) acumine & dexteritate locupletiores eas magisque perspicuas, atque adeò ornatiores commendatioresque, magno labore & industria multis subtiliter inuētis & declaratis, seculo nostro reddidisti. Nec desunt alii multi hodie, quos hoc loco recēdere nō est opportunum, qui in idem incumbunt strenuè. At qui in Astrologia sic velint elaborare, vix vnum atque alterum inuenies. Habet Italia, habet Gallia, habet denique Germania nostra paucos quosdā, qui hanc inter cæteras verè colant, ac post
liminio

liminio quasi reuocatas pristinae dignitati restituere studeant ac laborent: cuius quidē rei tres ego potissimum causas esse iudico: primam, quod ob latentes, & veluti Deo reſeruatās, aphorismorum suorū causas, difficilior & iniucundior (quandoquidem iuxta philosophum, tum demum vnūquodque scire nos arbitramur, quādo causas eius cognoscimus) cæteris partibus videatur: secundā, quod bona ingenia deterreat Arabum, in quibus ferē solis eius reliquiae continentur, barbaries: tertiam quod nunc ob professorum qui superioribus seculis fuere, & adhuc passim reperiuntur, partim ignoratiam, partim vsum ineptū ac illicitum non solum male audiat à plerisque; sed rideatur etiā, damnetur & excretur. Ac sunt reuera in vtraque parte tam eorum, qui Astrologorum sibi nomina hodie vendicant (nihil enim hīc loquar de veris, quorum licet pauci, tamen aliqui passim reperiuntur) quā horum, qui eos ita exagitant & insectantur, multi & magni errores. Quum enim hæc studia in Aegypto extincta essent, Arabes desertam à Græcis possessionem magna vi inuadentes hanc præcipuē artem in Occidentem &

Hispaniam vsque propagauerunt: ita tamen, ut diuinationū æquū cupidiores (ut erat gens curiosa) nō cōtenti fuerint Ptolemæi Astrologia, quæ pars quædam physices existimari potest, sed sortes etiam, & alia multa prædictionum genera *ἀναιτιολόγητα* commenti sint. His accesserunt superioribus annis, quando omnia caligine quadam obduci, ac mendacia pro veritate haberi cœperunt, haud pauca superstitionis stultitiæque plenissima. Sic itaq; ut sumus omnes mali quàm boni capaciores, accidit tādē, ut plerique à vera Astrologia ad inania quædam deliramenta deflectentes, meritam reprehensionem prudentiorum incurrerent. Fit enim plerunq; ut homines indocti, quo casu in tales libros incidentes, perlectis aliquot apotelesmatibus persuadeāt sibi, adeptos se nescio quod prophetiæ donum, statimque quasi entusiasmo quodam perciti secundū canones faciliores, quales sunt quī præter artis fundamentum sunt adiecti, omnia, tanquam ex tripode, per Lesbiam suam regulam prædicere conentur. Necesse est igitur eos vel turpiter subinde suos artisque suæ errores prodere, vel egregias imposturas cōminisci

minisci. Quidam etiam eò dementiæ veniūt,
 vt per necromantię præstigia diaboli ea in re,
 vt saltem eximij vates iudicentur, præsidio vt
 non vereantur. Sunt qui nescio quem cæcum
 fortuitumque digitorum ductum, sub titulo
 artis Geomanticæ, pro quauis quæstione dis-
 cutienda pueriliter sequantur. Sunt alia mul-
 ta hominum otiosorum figmēta per quæ ali-
 qui velut Apollinis, aut Sibyllarum oracula
 ædere contendunt. Sunt denique qui in vera
 arte plura sibi sumunt, quā vel ipsa pollicea-
 tur, vel Astrologus in hac ingeniorum imbe-
 cillitate queat præstare. Rectissimè ac præcla-
 rè dicere solebat Bilibaldus Pyrcæhemerus,
 Artes sunt certæ, sed multa sunt in iis consy-
 deranda. Illi autem (tātum abest, vt consyde-
 rationem eam, in qua tamen facilè possumus
 decipi, adhibeant) ex primo quasi thematis
 cœlestis intuitu, euentus quoscunque audent
 prædicere: nulla habita ratiōe eorum propter
 quæ sidus aliquod hoc vel illo loco positum
 cēsetur faustum seu infaustum. Ach i omnes
 diuinum Astrologorum nomen sibi vendi-
 cant, atque adeò veræ Astrologiæ, verisque
 Astrologis quorum tamen aliqui & sunt ho-
 die,

die, & semper fuerunt, plurimum detrahunt, dum omniū se risui furoribus suis exponunt. Hinc factum est, vt nomē Astrologiæ pro talibus ineptiis aut diabolicis etiam insaniis à plerisque immeritò accipiat: interimq; ingens hoc donum diuinandi ex astris, de temperamentis & inclinationibus rerum humanarum imprudenter ac impiè magno hominum incommodo negligatur, irrideatur ac damnetur. Quare cū reliquas mathematū partes aliquoties iam in hac Academia explicarim, officii mei esse duxi, hanc quoq; partē, quæ quasi vltimus atque præcipuus illarum, præcipuè Astronomiæ, finis est, adiicere. Nō video enim quid prosit nouisse reliquorum, præter Solem ac Lunam, planetarum motus, atque passionēs, vt appellant, aliaque multa Astronomica, nisi adiungatur hæc doctrina, quæ ostendat, qui ex illis, tanquam causis, effectus oriantur. Quid enim confert nouisse iam solē in aquario opponi Lunæ in Leone: Saturnum orientalem, septentrionalem, descendentem, ac directum in Capricorno, fuisse pridie in oppositione ipsius Lunæ: Iouem meridionalem, ascēdentem occidentalē atq; directum

directū trigono aspectu eidem Lunæ coniungi: Martem quadrata radiatione Lunam aspicere, aliaque multa his grauiora: nisi vsum aliquem subiungamus, quæ videlicet aëris mutatio, quod hominum iam nascentium temperamentum, quæ affectiones inde sequantur. At cum intelligerē plerosque, hoc præsertim in loco, ignorare, quid sit verè Astrologia, duxi prius eam penitiùs esse describendam, & à vanitatis crimine vindicandā. Vidi enim multos ad nomen illius quasi horrescere & subsultare. Fuit etiam mihi disceptatio haud parua cum aliquibus negantibus eam vel artem esse, vel hominis Christiani studio ac professione dignam. Statui igitur omnino mihi necessarium esse, vt patrociniū eius prius quàm doctrinam susciperem. Ac cum sciam id me debere & arti ipsi, & societati humanæ, mihiq̃ue, plurimis argumentis, & doctissimorum quorumque testimoniis munito et adiuto, facilimū esse, nolui admittere, vt per me staret, quo minus fieret ea aliquibus commendatior: quod quidē facile spero futurum ijs, qui legent collecta à me artis huius encomia & patrocinia. Quum autē quatuor om-

B

nino

nino sint dicendi genera, demonstratiuū, de-
 liberatiuum, iudiciale & διδακτικόν, nullum-
 quē illorum docēdo sit accommodatius po-
 stremo illo genere didactico, quod methodo
 quadam dialectica per certas quēstiones rem
 propositam nudē, adeoque breuiter ac perspi-
 cuē explicat, eāque ob causam in scholis præ-
 cipuē vsurpandum est, visum est mihi initio
 succinctam rotius Astrologiæ imaginem ea
 ratione per prima quasi lineamenta & mo-
 nochromata vt plenius doceat, spectandam
 proponere: postea, ad persuadendū efficacius,
 testimonia doctorum virorum, fusius & ele-
 gantius quædam exprimentia, ex lib. qui nūc
 ad manum mihi sunt decerpta, subiicere. Ma-
 lo enim ipsorum verba citare, quā meo no-
 mine eorum argumēta venditare: tū vt plus
 fidei, ponderis & authoritatis sic habeant: tū
 ne chumanus asinus leonina pelle indutus
 prodire videar. Sciant autem lectores, me nō
 illorum solum, quantumuis præclarorum vi-
 rorum iudicia, sed ipsorū prophetarum, apo-
 stolorum, Hippocratis, Galeni, Aristotelis,
 Ptolemæi & similiū decreta sic adferre. Meā
 methodum ideo illis præposui, vt primum in
 ipso

ipſo quaſi limine & veſtibulo ſūma illorū capita breuiter oſtēdat: nō quod ſcripta mea velim anteponere illis, cū quibus vix in ea ſum eruditionis cōparatione, in qua eſt muſca ad Elephātē ratioē magnitudinis. Volui aut̄ hęc ſic cōlecta in vno libello ꝑponi, vt legātur etiā ab iis, q̄ integra opera quib⁹ alioq̄ ſūt adiecta, emere vel nolūt, vel nequeūt: ac vt in pluriū man⁹ veniret dedi ea Chriſtiano Wechelo chalcographo diligētiffimo typis excudēda. Addidi etiā libellū Trapezōtīi, quo oſtēdit, quare Aſtologorū iudicia ſæpe fallāt: itē dialogū Pontani, quo doctiſſimè diſputatur, quaten⁹ credendū ſit Aſtologiæ: vt appareat me nō ſolū patrocinari veris Aſtologis, ſed errores etiā, quos aliqui fouēt, imꝑbare atq; taxare. Habeo etiā quædā de modo parandi themata coeleſtia pro iudiciis, deq; prædictionibus ex iis faciēdis, quæ aliquādo ꝑ opportunitatē ſtudioſis harū rerū cōmunicabo, ſi hęc cādīdè ſuſcepta videro. Tibi vero, doctiſſime Orōti, hęc farraginē multas ob cauſas dedico. Primo vt ſic meus erga te amor & obſeruātia, tuāq; viciffim erga me beneuolētia pluribus innotefcat. Hoc enim cōſilio peregrina-

B ii

tiones

tiones potissimū suscipio, vt passim viros doctos & bonos videā, audiā, ac si fieri possit, familiares mihi & amicos reddā: quod mihi cū apud multos alios præstātes viros, tū apud te quoq; , pro insigni humanitate tua, foeliciter iā pridē successisse gaudeo. Qua in re gratias quoq; habeo immortales venerando ac erudito viro, Gulielmo Mustelę theologo, collegii Bellouacēsis gymnasiarchæ vigilātis. q̄ me, cū sui collegii alūnus factus essem, in interiorē tui clarissimiq; in omni doctriharū genere viri, Antonii Misaldi, amici ac veluti Pirithoi tui, quem ego valde amo & suspicio, notitiam, pro suo erga me fauore singulari, deduxit. Deinde offero tibi, summo harum rerum antistiti, hoc de Astrologia iudicium, vt videant Astrologomastiges me non subterfugere hac in re artificum censuram. Denique vt tu, qui authoritate multum vales, mei libelliq; huius patrocinium benignè suscipias: quod vt facias, totumq; hoc institutum meū candidè interpreteris, te oro quā possum maximè. Bene atq; fēliciter vale cum tuis diutissimè. Lutetię Parisiorū ex collegio Bellouacensi, Idib. Ianuarij Anno à Christo nato. M. D. XLIX.

THEOREMATA GERVASII
Marstalleri Brisgoici, quibus iuxta methodū
dialecticā ostēdit, quid sit de arte diuina-
trice, quam Astrologiā seu iudicia-
riam vocant, sentien-
dum.

An sit Astrologia.



*Q*uid sit Astrologia, hoc est, quod
corpora cælestia habeāt aliquam
vim in hac inferiora, quōdque vis
ea prasidio Astronomia, & hu-
ius artis quæ ob id Astrologia di-
citur, possit prædici, seu quomodo-
cunque observari, communis doctissimorū quorumq;
consensus, & cotidiana experientia satis superque
testantur atque confirmant. Cæterum id multo pleni-
us constabit, ubi in posterioribus huius methodi quæ-
stionibus, causæ atque effectus huius doctrinæ reci-
tabuntur.

Quid Astrologia.

Astrologia (vt Melanthon eam definit) est do-
ctrina, quæ inquirat causas efficientes vniuersales in
motibus ac viribus syderum, quæ mouent materiam

B iij in

in inferioribus corporibus: vel ut idem clarius eā definit in præfatione quam lib. Schoneri de iudicijs nativitatum præfixit, est physica quædam temperamentorum & inclinationum humanarum aspectio ex vera experientia extracta. Harū definitionum quasi explicatio quædam est ea quæ ponitur in oratione, quam optimus doctissimūq; vir Iacobus Milichius medicus atque mathematicus insignis, de dignitate Astrologiæ olim habuit, cuius hæc sunt verba:

Astrologia pars est physices, quæ docet quos effectus astrorum lumen in elementis, & mixtis corporibus habeat, qualia temperamenta, quas alterationes, quas inclinationes pariat.

Ptolomæus eam breviter his verbis definit:

Astrologia est divinatio siue prædictio de Astronomia.

Iacobus Curio in Genethliologicis suis hanc ponit definitionem:

Astrologia est ars, siue potius observatio, noscendorum euentuum, è repetitis sæpe experientijs sigillatim accumulata. Apparet igitur satis quā nihil sibi sumant & Astrologia ipsa & veri eiusdem professores, quod nō ex ipsa natura dependeat, quāmq; iniquè stultas quasdam & ἀνατιολογίας observationes calumniatores illis obijciant.

Vnde

Vnde dicta Astrologia.

Accepit nomen hac ars ἀπὸ τῶν ἄστρον καὶ λόγον. i. à syderibus ac ratione: eo quod est ratiocinatio seu diuinationo quaedam ex astris, de temperamentis elementorum, aliorumque corporum mistorum, deq; effectibus, qui ex huiusmodi temperamētis, corporibus hisce, nisi aliæ propiores seu fortiores causæ obstant, eueniūt. Etsi autem, vt ex Procli hypotyposi, alijsq; veterum scriptis satis apparet, ea quoque mathematicæ pars quæ hodie Astronomia dicitur, nomine Astrologiæ vocabatur, hic tamen per Astrologiæ vocabulū differentiæ causa diuinatricem solum intelligimus. Nihil etiam moretur nos hic abusus vocabuli Astrologiæ, & eorum qui hoc nomine pingunt suas diuinationum seu imposturas seu diabolicos furores, & eorum qui talibus obfascinationibus sacrum hoc nomen aliquando dederunt, vel adhuc hodie tribuunt. Sciamus verā Astrologiā, verosq; Astrologos nihil præter hoc quod definitiones hæ indicant profiteri.

Quæ partes Astrologiæ.

Inter ceteras Astrologiæ diuisiones videtur mihi optimè congruere ea, quam recitat Virdungus in suis tabulis resolutis ex Genethlialogicis Iacobi Curionis, hisce verbis: Astrologia duplex est, Naturalis scilicet, ac coniecturalis.

Natura-

Naturalis pars quædam physices est, ut dū verbi gratia pestem, aut epidemiam aliquem alium morbum ratiocinamur futurum ex malo stellarū habitu, & configuratione peruersa. Vbi necesse est primo aërem continentem, deinde sanguinem, & vniuersam in corpore concretionem infici. Atque hoc pacto nihil differunt astrologorum prædictiones, à prædictionibus medicorum, nisi fortassis causas habeant medici viciniores vtpote in materia, & idcirco magis euidentes.

Cōiecturalis eadem quoque est quatenus res euenire prædicat contingenter, & non necessario: quod ipsum intellige fieri, quando inferiores causæ nõ consentiunt cum cælestibus: aut si stellarum etiā effectus syderis alterius conditione inuertantur, frustrenturq;. Mars quantumvis minaciter positus, nõ statim bellum actione sua portendit, quando voluntates & cōsilia obstant. Ibi enim astrologus quanquam perspectas ex canonibus habet vires Martis in aëre, in humorib⁹, in mouēdis phantasmatis et hominū animis, nondum tamen in commotionem ad bella nisi in capacibus locis, hoc est, cum quibus sympathia est, prædicere audet. Iam dici potest coniecturalis quoque quod propter concursum causarum non rarò hæsitamus, cuinam causæ sit effectus aliquis propriè imputandus

quo res aliqua materialis constituitur, aut id circa quod efficiens versatur, aut id cui forma inhaeret, satis liquet Astrologiam, quæ non est res materialis, sed accidens, non habere materiam ex qua. Obiectum vero habet, hoc est materiam circa quam Astrologus est occupatus, & subiectum habet materiam, cui ipsa Astrologia inest.

Obiectum Astrologiæ, ut eam melius à causa finali ipsisq; effectibus discerni queat, simpliciter hic corpora cælestia ipsaque elementa, nec non reliqua ex his conflata corpora vocabimus. Nam circa ea hæc nostra ars, seu ipsi artifices, potissimum versantur, transferentes illorum habitudinem ad horum naturam, quatenus illa huic temperamentum, alterationem seu inclinationem impertit.

Subiectum verò est illa ipsa mens cui inest ea notitia seu ars, quam & supra definiuimus, & mox Astrologiæ formam statuemus.

Quæ causa formalis.

Forma Astrologiæ est certo modo posse prædicere seu obseruare euentus, qui vel præcesserunt vel certo tempore sequentur instinctu virium, quas habent corpora cælestia in se inuicem, & in hæc inferiora, eorumque euentuum causas aliquas in syderum habitudine ad ea corpora, quibus eneniunt illi euentus, monstrare.

D *Quæ*

Quæ causa finalis.

Causa finalis est intentio cupientis ex viribus syderum futuros euentus predicere, seu præteritorum causas aliquas ex iisdem viribus astrorum reddere. Quod qui assequitur, finem Astrologiæ, qui coincidit cum effectibus eiusdem, adeptus est. Quapropter fines & effectus huius artis, cum idem fere sint, in sequenti quæstione simul enumerabo.

Qui effectus Astrologiæ.

Principalis atque præcipuus huius doctrinæ, sicut & aliarum omnium rerum, finis seu effectus esse debet gloria Dei, vte a per hoc quoque mirificum opus suum nobis hominibus innotescat, ac vt hinc etiã discamus mundum non ferri casu, sed esse quandam æternam mentem architectricem, gubernatricem & conseruatricem omnium bonarum rerum, quæ ad humanas vsus has quoque multiplices, certas tamen atque regulares, sphaeras & motus cælestes condiderit, regat, & conseruet. Deinde proprius huius artis effectus est, quod ostendit nobis discrimina temporum, quæ sint idonea, quæ minus idonea operis, medicis, rusticis & alijs quibusdam non supersticiose obseruatis: quæ insuper tempora minentur nobis mala, quæ felicitates: atque adeò prænuntient nobis iram suæ benignitatem diuinam. Quæ omnia

omnia Deus optimus maximus tribus quasi verbis in creatione cælestis machina expressit, dicens: Et sint in signa atque tempora. ut habet Moses cap. 1. Geneseos. Qua nimirum verba non solum de maiorum luminarium Eclipsibus siue quocunque alio vfitato seu miraculoso positu, de Cometis, alijsq; raris atque horrendis apparitionibus intelligi voluit, verum etiam de singulorum syderum malignis seu faustis aspectibus: qui omnes Et vniuerso seu orbi seu populo terrarum, Et singulis hominibus vel pro ratione temperamenti sui, quod inde acceperunt, vel singularis pœna seu beneficij gratia, iam de ira, iam de benignitate Dei tacite concionantur.

Quemadmodum Et præsentem Germania nostra statum, turbulentissimū sanè atq; miserrimum, præter verbi cælestis vaticinia Et cotidianas comminationes, non solum Eclipses aliæque cæli Et elementaris huius mundi prodigia, sed Et multi alij infausi planetarum, aliorumque syderum positis longo iam tempore (sicut Et veterum Et nostri temporis mathematicorum prognostica testantur) prænunciarunt. Et quia plerique eas admonitiones vel cõtēpsimus, vel ijs ut debebamus non affecti sumus, ideo meritas impietatis atq; securitatis nostrę pœnas nunc damus,

D ij quas

quas pœnitentia ac vitæ emendatione pro bonitate
 Dei nostri facile auertere potuissemus. Oremus igitur
 adhuc Deum, vt imminentes arumnas benigne
 auertat, propter vnicum filium suum Iesum Christum,
 dominum atque liberatorem nostrum. **✠** Id ego
 vobiscum nunc & semper ardenti pectore, si nobis sa-
 lutare est, peto, oro, flagito, obque promissam misericor-
 diam & liberationem postulo atque obtestor, per eū-
 dem Iesum Christum dominum **✠** *ὁ κύριος ἡμῶν ἰησοῦς
 χριστός* nostrum. **✠** Videant autem nationes alie,
 quæ maximè has diuinas præmonitiones flecci faci-
 unt, ne incauti asperioribus propediem periculis ob-
 ruantur. Non finit se Deus irrideri. Atq; quod hi sint
 aut debeant esse astrorum vsus, haud obscure innuit
 Pauli authoritas, qui grauissimè inquit, tam prope
 adesse Deum penè vt manibus prehendi & contrec-
 tari possit. Significat enim (vt rectè simul ac erudi-
 tè optimus doctissimusq; vir Iacobus Milichius me-
 dicus in præfatione sua in. 2. Plinij explicat) expref-
 sa vestigia atque indicia diuinitatis in natura exta-
 re, quæ cōvincunt animos, hunc mundum non casu
 exitisse, sed ab aliqua æterna mente conditum esse et
 gubernari. Nec Paulus, vt idē Milichius inquit, di-
 ceret inueniri & contrectari Deum, non diceret Deū
 cōspici in natura, si hæc philosophia inutilis esset. Lo-
 quitur

quitur autē Paulus expressē de ea parte philosophia quā physicen appellamus, cuius magna pars est hæc nostra Astrologia, cum naturā nominat. Canit Regius vates Psalmo. 18. Cælos enarrare gloriam Dei, & opera manuum eius annunciare firmamentum. Et Paulus inquit inuisibilia Dei per visibilia intelligi. Cæterum quod etiam iram seu bonitatem diuinā peculiariter nobis significet astra, præter superius citatum Mosis testimonium, testatur quoque verba Ieremias, dicētis nomine Dei: A signis cæli nolite metueret: quantumuis ea verba indocti homines contra Astrologiā detorqueāt. Nā eo ipso, quod nominat signa cæli, significat vestigia atque indicia iræ Dei in cælo extare. Ideoque hanc Ecclesiæ suæ prabet consolationem, ne ob id animum abiiciat, sed auxiliū à Deo expectet. Cōseruaturum enim Deum Ecclesiam suā etiam ruentibus reliquis mundi partibus. Sicut & alię multę promissiones testantur. Sed nolo hic prolixius hac de re disputare. Nam plerique (etiam ij, qui ob id quod hanc artem ignorant, multum reclamant, cupientes nimirum ignorantia suæ hac ratione patrocinari) & ex his quæ hætenus dicta sunt & ex propria rationis ductu facile intelligunt, Deum per astra, ut per alia multa media, suam nobis iram vel benignitatem patefacere. Quo trahuntur etiam plu-

D ij timis

rimis omnium temporum exemplis. Nam quis præter cotidianum solis atque ☽ usum, quæ nobis præstât, non vel ipse expertus est, vel ex historijs seu aliorum sermonibus cognovit, quantas sæpe calamitates, eclipses, cometae, aliq; horrendi astrorum positus mundo prænunciarent? Cum igitur ☉ atque ☽ earumque Eclipsium, nec non aliorum prodigiosorum aspectuum usus adeò manifestus sit omnibus, cur alijs cæli syderibus aequè certis et admirandis nullas inesse vires crederemus? Quandoquidem in hac impura mundi parte, nullo modo æthereæ regioni conferenda, nihil tam exiguum nihilque adeò abiectum est, quod non suas certas atque perspicuas habeat commoditates. Nec huius infinita corporum, animorum aliorumq; effectuum varietatis, quam certè per media aliqua Deus efficit, alias causas sufficientes inuenimus.

Ac quod à singulis stellis peculiare fructus percipiamus, disertè affirmat Galenus, ubi de Criticis diebus disputans inter cætera sic ait: πάντων μὲν ἀνθρώπων ἡ ἀπολάνομερ τῆς δυνάμεως. Et paulo post inquit, qui id negent cum manifesta experientia pugnare. Ecclesiastici cap. 40. dicitur, Non est ut dicas ad quid prodest hoc? Nam singula creauit, ut aliquis sit usus eorū. Et Moses inquit, erant omnia valde bona. i. congruentia voluntati diuinæ et habentia in-

signem

signem aliquem vsum. Sunt & alia innumera huius generis sententia apud philosophos. Ex quibus eruditissimā hanc Rhodolphi Agricola solam, breuitatis causa, accipe. Neque enim (dicit cap. 11. primi de inuentione) author ille rerum segne quicquam aut sine vso esse voluit, sed tanquam in prudentis patris familias domo, cuncta vt essent in officio effecit. Quis igitur tantam stellarum multitudinem atque varietatem, quæ ne visu quidem satis notari potest, non ad eximios vsus creatam esse diceret? At quantilla hæc esset utilitas si ornatus tantum gratia essent condita? Quare si adeo firmis argumentis conuincimur, minutissimas quasque stellulas certis functionibus esse destinatas, cur non merito laudanda, colenda, propaganda, omniq[ue] officiorum genere adiuvanda Astrologia, vnā cum suis cultoribus, quorum beneficio tot tantosq[ue] syderum fructus cognoscimus, ijsq[ue] rectè frui discimus?

Dixi in genere de Astrologiæ præcipuo nec non proprio vso seu effectu qui cum admodum latè pateat, & alij quoque minus principales sint effectus seu utilitates huius artis, ideo speciatim eas tanquam in catalogo quodam nunc breuiter ob oculos proponam.

Catalogus effectuum Astrologiæ.

Principalis atque præcipuus, vt dixi, Astrologiæ
vsus

usus est, quod in aliquam nos Dei cognitionem deducit, diuinamque providentiam, gloriam & voluntatem aliquo modo nobis ostendit. Proprius effectus est quod singularum fere stellarum earumque variorum accidentium mirificas vires in elementa aliaque mixta corpora patefacit: quarum virium cognitio has nobis præstat utilitates.

- 1 Reddit causas aliquas admirandæ dissimilitudinis, non solum regionum, sed etiam ingeniorum atque morum in diuersis regionibus.
- 2 Indicat unde tam manifesta formæ animorumque differentia, quæ est inter singulos homines, oriatur.
- 3 Ostendit quæ singulas nationes vnoquoque tempore fata maneant.
- 4 Aëris, adeoque reliquorum elementorum statum ad omne fere temporis momentum prædicit.
- 5 Hinc omnium rerum, fructuum præsertim, felicitem, seu mediocrem, seu infelicem prouentum denuntiat.
- 6 Atque adeo bella, famem, inusitatas siccitates seu inundationes, pestiferas qualitates in aëre, ex quibus frugum corruptio & animantium interitus sequuntur: clades item populorum, mutationes imperiorum, regum interitus & similes seu contrarios euentus
quàm

tandus. Astris cooperatur Deus, cooperantur elementa, pluresq; alia inferiores causæ. Si itaque ex tota aliqua mixtura certus & destinatus aliquis effectus eliciatur, scias illum cōiectura potius quàm certa ratione elicitum esse. Tamen si haud interim negem stellarum naturas in mixturis etiam infinitè varijs esse observatas.

Hæc Virdungi seu Curionis verba eò lubētius integre hic adieci, quia ostendunt contra vulgi, immo et doctorum quorundam qui hanc philosophiæ partem non degustarunt, opinionem, esse quasdam certas astrologorum prædictiones, nisi Deus, qui est prima, liberrima, atq; potissima omnium rerum bonarum causa, singularis vel beneficii, vel pænæ gratia ordinem secundarum causarum sua ineffabili potentia impediat. Ob quam causam si quis vel artis certitudini, vel artificum peritiæ quicquam detrahat, is eadem ratione Academicorum, ἀνατλαντίαι & Pyrrhonorum ἐποχῆν, quibus nihil unquam excogitatum fuit absurdius, affirmabit.

Vox cælestis, & vniuersalis experientia testantur, Deum per certa media, quæ ob id in hac natura ordinauit, pleraque in nobis agere. Nec est credibile minima quæque in hoc elementari mundo certas habere functiones, & tam multiplices orbes cælestes,
C eorumq;

eorumq; motus tam certos atque varios frustra esse cōdita. Non possunt autem alij euidentes vsus fingi quā vt has adeo varias elementorum compositorumque corporum vices efficiant. Nam quòd astra ornatus causa creata feruntur, id vt insufficienter de stellarū vsu, ita stulte de multiplicib. illarum sphaeris atq; motibus perhibetur. Quantilla enim esset hęc utilitas, quæ ex tam raro stellarū conspectu percipitur? Quæ item voluptas hanc motuum orbiumque cælestium varietatem, quasi imperceptibilem nobis, sequeretur? Deinde ob hanc quoque causam hęc Astrologia diuisio retinenda est, quia indicat, aliquas prædictiones, cum præter supremam illam causam partim ab inferioribus, prim ab alijs cælestib⁹ causis, quæ ob humani ingenij infirmitatē satis perspicere nequeūt, impediri possunt, coniecturales ab ipsis Astrologis vocari, ne vel ultra metas transiliant, vel alijs calumniandi prabeant occasionē. Quare vtrique tam arti huic, quàm artificibus eiusdem magnam iniuriā faciūt, & qui omnē illis certitudinē tollūt, et qui nescio quam eos suis prædictionibus necessitatem affingere autumant. Quandoquidē & frequens experientia probat multos eosdemque magnos euentus ab Astrologis passim verē prædictos esse, & hęc quæ iam dicta sunt, tum multæ alię Astrologorum sententiæ affirmāt, suas

*suas prædictiones non esse edicta pratoria, hoc est, ut
eueniant non esse necessarium: sed quemadmodum
astra non necessitatem sed inclinationem rebus adfer
re asserunt, ita pleraq; suas prædictiones ab alijs tā su
perioribus quàm inferioribus causis posse irritas fieri
concedunt: futuras alioquin certas, nisi tale quid ob
stet. De Deo testatur hoc vsitatum eorum distichon,
Astra caue spernas, vitam qui ducis ab astris: Astra
regunt homines, sed Deus astra regit.*

*Libertatem voluntatis humanae in civilibus &
externis actionibus innuunt hoc dicto: Sapiēs domi
nabitur astris.*

*Et dolendum est potius quàm gaudendum nobis,
astra tam efficaces habere vires in nos totumq; hunc
mundum elementarem. Nam etsi inclinationes sy
derum, seu influentia cælestis, habuissent idem tempe
ramētū in natura integra, habuissent tamē dissimiles
effectus. Nos enim ductu rationis & verę pietatis
bonas inclinationes fuisset secuti, prauis restitisse
mus. Et aliorum quoque corporum huius elementaris
mundi, fuisset melius temperamentum, ideoq; à su
perioribus minime fuissent infecta. Iam postquam il
lorum magna est impuritas atque infirmitas, & nos
in hac naturę caligine ac deprauatione in pessima
queque proni ruimus, adq; bona tam à rationis qua
C ij licunque*

licunque lumine monstrata, quàm diuinitus præcepta vix pertrahimur, accidit vt plus iuris in tota hac inferiorũ rerum natura reperiãt prauę inclinationes, quã eę quę nos ad pietatẽ, honestatẽq; inuitãt. Quin etiã inter nos homines multi sunt deteriores, quã vis aſtrorũ ipsos impellẽs, ſignificet: nã quos diabolus inſidiator noſter callidiſſimus ſimul ac inſeſiſſimus prauis aſtrorũ inclinationib⁹ tã obſequẽtes inuenit, eos ſibi maioribus ſubinde flagitijs deuincire conatur. Et proh dolor, in eo certamine ſepi⁹ vincit q̃ vicitur. Hęc eſi prolixiora ſunt quã methodi ratio poſtulat, tamẽ quia multũ lucis huic diſputationi de Aſtologia adferunt, & huic arti, nec non ipſius artificib. ſeu cultoribus patrocinantur, ideo hoc loco ſubjicere libuit.

Quę cauſe Aſtologię.

Difficile eſt nobis hominibus, veras cauſas efficientes Aſtologiẽ inuenire. Eſi enim teſtimonia doctiſſ. virorum, & experientia. ſi non vtilis, tamẽ frequens & manifeſta, confirmant eſſe quandam, eãque certam aſtrorum vim in hęc inferiora, quę poſſit à peritis mathematicis prædici ſeu obſeruari, eius tamen τὸ δῖοῦτι, ſeu verę demonſtrationes nō poſſunt in hac ingeniorum imbecillitate adferri. Et fortãſſis Deus optimus max. huius mirificę potentię corporũ cœleſtium author, ſingulari quodam conſilio eius, vt
multo-

multorum aliorum, causas sibi soli reſeruauit. Nobis vero effectus earundem cauſarum notos quidem, ſed ignoratis veris cauſis admirandos potius, quàm penitus inueſtigatos eſſe voluit: vt vel ſic quoque de infinita diuinorum operum potentia admoneremur. Quare omiſſa ſcrupuloſa cauſarum inqueſitione, effectus ipſos quaeramus, cauſas vero admiremur potius, quàm ſollicitius ſcrutemur. Ac ſufficiat nobis ſcire, Aſtrogia cauſas efficientes eſſe corporum cœleſtium motus, ſeu varios poſitus, lumen ac peculiarem aſtrorum vim, quam vulgò influentiam cœleſtem vocant, ad efficiendas tam multiplices corporum mutationes ipſis ab opifice Deo indiſtam. Quomodo autem hi vel illi poſitus aſtrorum, hocque vel illud ſyduſ, hanc vel illā rei alterationem ſeu inclinationem pariant, ob cauſam iam dictam non quaeramus ſcrupuloſius. Teneamus hîc præſantiſſ. virorum regulas. Socratis, Quæ ſupra nos nihil ad nos. Ariſtotelis, Quærens rationem relicto ſenſu, mente ſibi parum conſtat. Gale- ni, Negare manifeſtam experientiam ſophiſticum eſt. Deniq; & hâc Scoti, De formis ſingularibus nō eſt querēda ratio, ſed ſufficit dicere, quia talis eſt res. Cū enim quatuor ſunt quæſiōes ex quibus omnis rei veritas deprehenditur, & iudicanda eſt: verbum ſcilicet diuinum, notitia naturalis numerorum & con-

sequentia, principia vniuersalis seu certa experiētia, vnumque horum, si cætera haberi nequeant, ad rei asseuerationem sufficiat, non video quid impediat, quo minus Astrologiæ fides habeatur, cum tot tantisque exemplis omni tempore iudicia eius sint cōprobata.

Ac miror id tam mirificis corporibus cælestibus negari, quod abiectissimis quibusque mundi huius, non loco solum, sed omni quoque dignitatis cōditione multo inferioris, facile sine omni controuersia conceditur.

Quis vnquam negauit magnetem attrahere ferrum?

Quis non sibi persuaderi sinit lethali veneno infici homines si basiliscum viuum vel momēto intueantur?

At quid vetat quo minus credamus Eclipsin quæ fit iuxta sydus Martium, hoc est calidæ & siccæ facultatis, ciere aëris pestilentia & hominū animos ad seditiones & bella inflammare? At illud inquis sensibus apparet, hoc verò minimè. Ego verò aio & nos Lutetiæ & Xanthones Vasconesque hunc Eclipsen effectū plus satis sensisse. Quòd si dicasis ista vel nō tribuenda astris vel prædici ex ijs non posse, monstres quæso spiritū qui vel mihi, vel Ptolemæo reuelarit talem nuper factæ Eclipsis euentum, vt tam certo eum tibi multo antè prænunciare potuerimus. Quare contenti tot tamque claris huius artis testimonijs nihil de certitudine eius dubitemus, etiā si non appareant sufficie-

ficientes huius effecttionis astrorum demonstrationes. Interim tamen, si quæ causæ huius influentiæ celestis à nobis quocunque modo indagari poterunt, eas haud negligamus.

Ceterum causa impulsiva, quæ ut hanc astrorum vim observarent & inquirerent, adeoq; nobis Astrologiam constituerent, præstantia ingenia concitavit, præcipuè hæc est: infinita corporum, animorum, aliorumque euentuum diuersitas. Quum enim totus rerum ordo & multa philosophorum sententiæ testentur, nihil fieri cuius legitima causa non præcesserit, haud obscure intellexerunt & huius rei certas existere causas. Quas cum in his inferioribus non inuenirent, ad superiora mentes animosque direxerunt: præsertim cum varios certosq; Solis & Lunæ effectus manifestè conspicerent. Et quia vidit Deus hæc sua opera, sicut & alias artes siue scientias, à nobis cognosci, eoque nomine semper quosdam excitavit, qui animos suos paulò altius ad rerum contemplationem ac inquisitionem erigerent, ideo hos quoque doctorum virorum conatus adiuuit, ut horum adeò mirificorum euentuum causas aliquas seu si maius signa, inuenerint, eaque posteris latius inuestiganda seu probanda tradiderint. Vbi sunt autem ad hoc præsidio Astronomiæ & reliquarum disciplinarum mathematicarum

rum. Quorum ope tandem per longam observationē ad aliquā huius doctrina cognitionem peruenierunt, adeo ut stellarum ipsarumque variorum accidentiū vires eousque indagarint, ut & ipsi suo tempore, & nos ipsorum monumentis adiuti mirificos ex situ cæli effectus possimus prædicere, eorūque qui olim euenērūt, causas aliquas ex astris reddere, etiam si veras demonstraciones nō satis assequimur. Quod præterea ingenij acumen, quæ aliarum artium doctrina, quod studium, qui labores, quā diligēs inquisitio, quæ denique Mathematicorum librorum ac instrumentorū copia ad hanc philosophiæ partem discendam & exercendam veluti omnia requirantur plus satis omnes intelligimus: præcipuē ū qui hoc prætextu tam nobile studium omnino vel contemnunt, vel negligūt, quod scilicet vel ingenio vel ocio vel instrumentis ad id necessarijs destituātur. Ad quod pleriq; tantū pigritiæ suæ hac in re patrociniētur, vel inde cōstat, quod nihil tam difficile est quin querendo inuestigari possit, nec quisquam Fabij testimonio vnquam est inuentus, qui studio nihil sit assecutus, quodque passim extant libri compendiosis atque perspicuis regulis tabulisque totum hoc negotium ob oculos proponentes.

Quæ causa materialis.

Cū materia tripliciter se habeat, Aut sit id ex quo

quàm plurimos certis locis impendere significat.

Monet quibus vnumquodque tempus actioni- 7
bus sit idoneum: quod præcipuè ad rusticas & me-
dicas operas scitu maximè necessarium est.

Atque ad eò Medicinæ & agriculturæ & simi- 8
libus artibus plurimum conducit.

Patet ex iam dictis de proprio Astrologiæ effectu 9
inde factos seu calendarias tabulas, quibus vulgo v-
timur maxima ex parte: ipsa quæ prognostica, quibus
Astrologi singulorum annorum futuros status præ-
dicunt, integrè componi & extrui.

Ostendit singulorum quoque indiuiduorum tem- 10
peramenta, & ad omne ferè temporis momentum
dispositiones & alterationes seu inclinationes: quorū
cognitio homini cum primis ad tuendam valetudinē,
ad mores totamque vitam regendam iucunda est ac
utilis.

Hæ sunt ferè utilitates, quas cognitio Astrologiæ
proprie ac per se (vt dicitur) nobis adfert: ad quas dū
nos consilia studiaque nostra accommodamus, et bo-
nas inclinationes adiuuamus, prauasque arte vel om-
nino tollimus vel mitigamus, veros tandem fructus
inde percipimus. Nam etsi hanc curam Astrologia
proprie non docet, monet tamen, vt aliunde eam ad-
damus, cum fatetur suas prædictiones nō habere ne-

E cessarios

cessarios euentus, sed præter dominum astrorum (qui est Deus optimus maximus, cuius potestati omnia subiecta sunt) nostro quoque studio malas posse impedi, bonasque per incuriam nostram & alias inferiores causas fieri irritas. Quare nisi hanc quã dixi curam Astrologia cognitioni adiungamus, & impie & imprudenter facimus. Impie quidem, quia vult Deus vt his signis admoniti, nos ipsos & alias res fidei nostræ commedatas, diligentius regamus: imprudenter vero, quia nos ipsos veris Astrologia fructibus spoliamus. Subijciam igitur hic alterum catalogum earum commoditatum, quas nobis Astrologia per accidens, quasi tanquam causa impulsiva (nisi ipsi nobis desimus) præstat.

ALIVS CATALOGVS VTILITATUM Astrologia.

- I Ecclesia hinc admonita de pænis impendentibus sibi, si ad pænitentiam reuocatur, & vitæ emendatione instituens à Deo per Christum interpellatorem nostrum, veniam petit, imminentes pænas vel omnino effugit, vel earum mitigationem consequitur, sicut plurimæ ea de re sunt promissiones & exempla, omni Christiano necessario familiarissima. Quod dum fit, quantitas Ecclesiæ totique Reipub. utilitates adferat

adferat, vel ex presenti totius Germania periculo, quis non intelligit? Dum enim, proh dolor, non sine magno piorum damno atque mœrore videmus, quæ iam sit honestorum ac necessariorum commerciorum, studiorumque dissipatio, quæ omnis disciplina laxatio, quæ agrorum, urbium, totarumque regionum vastatio, quæ bonorum ad hanc vitam necessariorum rapina atque perditio, quæ piorum hominum contritio ac laniatio, quanta morborum lues, quanta in multis locis annonæ caritas, quantus defectus, quæ abominabilis utriusque sexus adolescentum atque iuuenum, honestarum fœminarum ipsorumque virorum pollutio, quæ tristis infantum aliorumque puerorum atque puellarum passim iacetiū, vel hinc inde, sine omni fere humano præsidio & consolatione errantium conspectus: non difficile est intelligere, quanta esset fœlicitas, si & cœlestibus et alijs multis signis præmoniti, tantas misérias, arumnas atque calamitates precibus nostris ac vitæ emendatione per Christum mediatorē nostrum unicū, à nobis auertiſsemus.

Respub. futurā annonæ paucitatem, gliscentia bella, et similes euētus hac ratione pspiciēs munire se potest cōtra huiusmodi casus, ut eos vel præueniat vel mitiget, eos autem, quos vitare nō potest leni⁹ ferat. Nā præuisa tela (ut est in prouerbio) minus lædunt.

E 4 Toti

3 Toti philosophiæ in hoc potiss. prodest, quod monstrat, quibus quisque artibus sit idoneus, & hoc pacto multos ad artes aliquas inuitat, quas alioqui non sic illecti, fortassis negligerent. Multos etiam ab artibus minus conueniētibus eorū ingenijs arcet, ne reluctante Minerva eas discere volentes, vel oleum (vt dicitur) operamque perdant, vel artibus ijs obsint potius quàm profint importuno studio, concipientes fortè ac spargentes perniciosas opiniones. Quæ res non parū nocuit philosophiæ, totq; sectas philosophorum, vt appellant, seminavit. Hæc omnia de linguis etiam & artibus Mechanicis (vt vocantur) intelligas.

4 Preter hoc officium peculiariter Medicinæ plurimum lucis & presidij adfert: medico etiam ad curandos morbos, ad cauendas importunas medicationes, adque vitanda seu præuenienda, seu mitiganda mala, quæ accidere in ijs possunt, nō solū utilis, sed maxime necessaria est: dum temperamenta egrotantiū, tempora medicationibus idonea, morborum causas aliquas in astris, ex quæ ijs futura accidētia, aliæque id genus plurima ostendit. Hac ratione physice etiā seu physiologie, cuius altera pars est, inseruit.

5 Astronomiæ precipuos vsus monstrat, ideòq; ad eam discendam studiosos excitat.

6 Geographiam & similes artes non parū adiuuat,

uat, dum regionum populorumque naturas atq; mores nonnihil indicat.

Arithmetices vsu exactum requirens eius studium parit atque alit sedulo. 7

Oratoris argumenta probabilia, ut vocant, valde confirmat monstrato temperamento & inclinationibus, quas inde vel ex singulari aliquo syderum positus res quaecunque habet. 8

Dum per tabulas calendarias in genere ostendit, quae tempora sint apta medicationibus pro ratione aetatis & temperamenti cuiusque, indiuiduorum valetudinem vel tuetur, vel amissam instaurat: quae non est parua utilitas, cum illis quibus hoc beneficiū propriè praestatur, tū toti reipub. Christianae, quae sic personas necessarijs functionibus idoneas accipit et conseruat. 9

Quum plantandi, ferendi, stercorandi agros, cædendi materiam ad aedificia, & similium operarū tempus idoneum indicat, haud contemnēdas ijs, qui suas iuxta id temporis discrimen perficiūt, utilitates adfert, & simul etiam toti reipub. non mediocriter conducit. 10

Præter iam dictas cōmoditates, quas vel vniuersis, vel certi generis hominibus praestat, singulis quoque hominibus multipliciter prodest, dum cuique tempe-

E iij ramentum

ramentum suum, inclinationes, & ob peculiarem sy-
 derum ad conceptiones natiuitates, aliasque actiones
 suas dispositionem impendentia bona vel mala ex-
 plicans, indicat cuique deligendum genus vite atq;
 studiū, monet quæ negotia apta vel abhorrentia sint à
 cuiusque ingenio, monstrat adiuuandas vel coërcen-
 das inclinationes, & id genus innumeras parit vti-
 litates. Quæ omnia quantum emolumentum singu-
 lis hominibus, tum vniuersæ humani generis societati
 adferant, non potest in hac methodo satis explicari.
 Nolo hic dicere quāta voluptatē, quantāq; existi-
 mationem & authoritatem pariat hæc ars suis cul-
 toribus, quāque sit præsens & iucunda in omnib;
 aduersitatibus consolatio. Ac sæpe ego mecum cogi-
 to quā congruum gratūque sit eius studium seni-
 bus, qui & rerum præteritarum recordatione pluri-
 mum delectantur, & futuras maximè expetunt, qui-
 que lectione & cogitationibus tranquillis minimeq;
 laboriosis, temporis atque senectutis tædium fallere
 student: eāque vel solam ob causam Astrologiam
 discendam iudico. Hæc nobis iam pro ratione huius
 methodi de effectibus atq; vtilitatibus Astrologia
 sufficiant.

Quæ cognata.

Quum omnes artes, quæ ad humanitatem adeo-
 que

que ipsam philosophiam pertinent, vno nomine *καλοπαιδία* appellatur, non difficile est intelligere, quae sit inter eas omnes cognatio. Recte igitur ac eruditè Cicero ait, eas commune quoddam vinculum habere, & quasi cognatione quadam inter se contineri. Quod discentibus & exercentibus eas manifestū euadit, dum nullam sine alia plenè vel assequi possunt, vel ad vsum conferre. Hoc tamen interim quoque concedendum est: illud ipsum vinculum inter quasdam earum artium laxius esse, inter quasdam arctius, hoc est, alias alijs viciniore esse. Sic & hac nostra Ars plus cognationis habet cum Astronomia, & Physiologia, ipsa quoque Medicina, quam cum cæteris artibus quibus generali quodam modo coniuncta est. Nam præter commune illud vinculum, quo omnes artes inter se connexæ sunt, harum posteriorū quasi pars quedam est, & illius (cuius etiam veros vsus continet) principijs ac ope plurimum innititur, & ex ijs quodammodo extruitur.

Quæ diuersa.

Etsi omnes hæc artes, quæ ad philosophiam pertinent, tanquam eiusdem generis species diuersæ. Huc referri possunt, tamen quia satis perspicua inter reliquas & hanc nostram est differentia: ideo tantum Astronomiæ, Physiologiæ & Medicinæ quæ viciniore

miores sunt huic arti quàm ut à quouis recte ab ea distinguere queant, discrimen hoc loco subiiciam.

Astronomiam ab Astrologia doctiss. Vir Erasmus Floccius olim Mathematicum professor, nunc medicinarum doctor peritiss. his verbis discernit:

Astronomia est doctrina quæ varios motus, magnitudines ac distantias corporum cælestium inquirat, diuersasque eorum apparentias per Geometriam & Arithmeticam saluat.

Astrologia est doctrina quæ ex syderum tam fixorum quàm erraticorum motu virtute, natura & situ differente, qualitatibus et quantitatis in corporibus mutationes atque effectus prædicit.

Hinc apparet differentia inter illas duas doctrinas, quòd illa de quanto & loco, hac verò de quali disputat. Secundo quòd hac de motibus qualitatibus & quantitatis, quos astra efficiunt in inferioribus, illa vero de motu eorum locali docet. Hæc Floccius.

Iohannes Virdungus in suis tabulis resolutis breuiter inter eas sic distinguit: Astronomus occupatur circa causas, Astrologus circa effectus.

Inter physiologiam et Astrologiam Philippus Melanthon hanc ponit differentiam:

Astrologia inquit causas efficientes & vniuersales in motibus ac viribus syderum, quæ mouent materi-

materiam in inferioribus corporibus.

Physica vero quæ sic propriè appellata est, inquit causas proximas motuum & qualitatum in ipsa natura inferiorum.

Medicina & Astrologia sic discrepant,

Astrologia versatur circa causas vniuersales:

Medicina verò in ipsa materia quærit causas, et tantum circa particulares causas versatur.

Quæ pugnancia.

Nulla est liberalium artium, quæ plura habeat pugnancia quàm Astrologia, cuius rei Ptolomæus duas ponit differētias: quòd videlicet difficilis est, ac ineuitabiles videtur habere prædictiones. Sic enim dicit cap. 1. lib. 1. de iudicijs Astrologi.

Sed hæc altera (Astrologiam intelligit) facilius reprehendi potest. Aut enim quia cōiectura in aliquibus difficilis est, prorsus incerta dicitur. Alij quia decreta vitari nō possunt, calumniantur eam tanquā inutilem. Hæc Ptolomeus. At quod iniquè hoc nomine vituperetur Astrologia, idem Ptolomæus sequentibus duobus capitibus eiusdem libri prolixè simul ac erudite probat & confirmat: ostendens prædictiones eius & vtilis esse & possibles. Quam disputationè breuitatis causa hic omitto, qui volet inde eam requirat.

F

Primum

- 1 Primum pugnant cum Astrologia Epicurei & similes phanatici homines, qui fingunt mundum casu ortum esse, nec regi certa ratione. Horum opinionē & vniuersalis experientia & verbi cælestis testimonia, aliæq; doctiss, virorum rationes sufficienter confutant. Quare hic ea de re disputare superse debeo.
- 2 Stoicorum & similium huius temporis hominum somnia, qui voluntatem humanam & infinitā Dei potentiā secundis causis subiiciunt & alligāt, adeoq; omnium rerū ineuitabile necessitatē asserūt. Horū insaniam & superiora testimonia & ipsorum Astrologorum sententiæ sæpè iam citatæ, refellunt. Nam veri Astrologi omnes sua sponte concedunt inclinationes cælestes causas esse secundas, adeoq; à Deo opt. max. omnium rerū prima causa, posse mutari: partiales item ac remotas atque ob id ab alijs secundis vel propioribus vel fortioribus vel non cōcurrentibus posse impediri: veluti supra dictum est sæpenumero, & propositio 5. ac 8. centiloquiij Ptolomæi disertè affirmant his verbis: Potest qui sciens est multos stellarū effectus auertere, quando naturam earum nouerit ac se ipsum ante illorum euentum preparare. Item: Sapiens anima cōfert cælesti operationi, quemadmodū bonus agricola arando expurgandoque confert naturæ.

Non

Non leuem huic arri iniuriam faciunt superstitioſe quædam temporum electiones & obſervationes, iuxta quas quidam impiè, quidam haud neceſſariò pueriles quædam quæ partim in ſolius Dei, partim in humana libertatis arbitrio potius conſiſtunt, actiones perficiunt: adeoque apud intelligentes, ijs quoque electionibus & Aſtrogia vſibus quorum magnus eſt in communi vita fructus & utilitas, fidem detrahunt. Huc referantur etiam Necromantia, Hydromantia, Geomantia, Pyromantia, Capnomantia, Catoptromantia & Lecoman-
tia. Aliæ item, quæ ex ſorte, auſpicijs, ominibus, extis ſimilibusq; , phantaſmatis ſumuntur, ſuperſtitioſe & αἰατιολόγται diuinationes.

Phyſiognomia & ſpecies huius Chiromantia eſſi habent ſuum vſum, nec parum confirmant Aſtrogia prædictiones, tamen qui ijs (vt multi faciunt) ſcrupuloſius vtuntur, cum hac arte noſtra, quæ temperamenta & inclinationes partim ab alijs cæleſtibus cauſis mutari, partim ab alijs inferioribus cauſis impediri docet, non leuiter pugnant. Sic & illi qui omnium ſomniorum, etiam eorum, quæ ex tēpe ramentis & actionibus ſeu cogitationibus quæ præceſſerūt oriuntur, neſcio quos certos euentus pollicentur.

F ij Eſſi

Etsi enim & ex somnijs & ex alijs quibusdā multa diuinari possunt, tamen multa etiam superstitiose ex ijs vulgus colligit, quae hoc loco tanquam pugnantia cum Astrologia taxantur.

Postremo pugnant cum hac doctrina omnes, qui eam quocunque modo & quancunq; ob causam vel damnant, vel aspernantur, eiusque studium aut ipsi oscitater negligunt, aut quauis ratione impediunt. Nolo aut hoc loco cōfutare argumēta eorū, qui huic diuinae arti petulāter & inique aduersantur: tū quia in posterioribus scriptis praecipuarū obiectionū dissolutio cōtinetur: tum quia hīc studui solū confirmationi: quae posita facile apparebit talium argumentorum vanitas.

Epilogus huius Methodi.

Hac in genere de tota hac arte quam Astrologiā vocant, praemittere libuit, ut & vos, aliosq; quibus haec mea opera vsui esse poterit, & me ipsum contra Astrologis obtrectatores munirem, ac ostendere quā inique haec adeo praestans ars à magna hominū parte vel negligatur vel damnetur: cum & philosophia pars sit, & neque diuinis neque ciuilibus legibus villo modo sit contraria, sed vtraque non parū illustret, omnisq; generis hominibus plurimum vtilitatis adferat. De his omnibus qui plura & eruditiora desiderant,

derant, sequentia optimorum doctissimorumq; viro-
rum scripta cum iudicio & candore legant atque re-
legant. Malui enim ea hic subijcere, quàm meo nomi-
ne contenta in ijs argumēta euidentissima proponere.
Nam vt minime decet alienis se plumis instar Ae-
sopica cornicis exornare, ita longe plus fidei, ponde-
ris & authoritatis hac, quàm quauis alia ratione,
sunt habitura. Tu, lector amice, consilio nostro, fusius
in praefatione exposito, fruiere feliciter, tibi que in
posterum τῆς μαυτικῆς de meliore, quod
aiunt nota cōmendatam ha-
beto.

Finis methodi.

F iij

PRAEFATIO D. PHILIPPI MELANTHONIS, IN

*Iohannis Schoneri libros de iudicijs
natiuitatum.*



Um initio belli Peloponesiaci Pericles instructa ingenti classe à litore soluturus esset, in illo ipso articulo cum in suam triremem ascendit, conspecta est tanta Solis eclipsis, ut penè tenebrę nocturnae medio die existerent, & stellae conspicerentur. Territus igitur tanquam prodigio gubernator, ut reliqua multitudo, nauigare recusauit. Hic Pericles seu vere contemnens astrorum minas, seu simulans constantiã, ne languefaceret animos militum, pallio suo texit gubernatoris oculos, ac paulò post remoto pallio interrogat, num putet aliquid portendi, quod oculi exiguo tempore tecti fuerint, nec tamen laesi sint. Cum respondisset gubernator de pallio, nihil mali esse quod pallium paulisper admotum esset oculis. Ita, inquit Pericles, nec Soli, aut naturae rerum aliquid mali accidisse, aut significari putes, etiamsi Luna in eum incurrens paulisper conspectum eius homi-

hominibus ademisset: ac solugre iubet, & bellum Graciæ inferre, exitiale primū patriæ, deinde & vniuersæ reliquæ Graciæ. Opinor autē multos esse, qui laudent hoc iudiciū Periclus: sed nimis tristes pœnas vniuersa Graciæ huius audacissimi iudicij dedit.

Cūq; omniū seculorum exemplis compertū sit, res tristes ac insignes ciuitatum, aut regnorum ruinas, quasi denunciari luminum cælestium defectibus, seu obscuracione, ferrei animi est significationes diuinitus in natura ordinatas superbè ridere ac cōtemnere. Semper autē cum de cæteris artibus quę literis continentur, et de vitæ doctrina, imò etiā de illo ipso doctrinæ genere in quo se Deus æternus pater Domini nostri Iesu Christi illustrib⁹ testimoniis patefecit, magnæ iudiciorū dissimilitudines fuerunt. Quare de artibus, non ex omniū exemplis qui eas cōtemnunt, sed ex firmis rationibus & testimonijs iudicandum est. Ac vt de cæteris artibus non dicam. Duæ sunt partes doctrinæ de astris, quarum altera certissimas leges motuū ostēdit, altera partium seu Diuinatrix mōstrat siderū effectus, seu significationes. Et si aut prior pars ex manifestis demōstrationibus extructa est, & vtilitatē hanc insignē & omnibus notā continet, vt anni metas certas, & partium anni iustā descriptionē notatis æquinoctijs et Solstitijs teneam⁹: tamē eā mul
ti aut

ti aut stolidi, aut superbi aspernantur, & suis exemplis ab illa eruditissima parte philosophiae iuuentutem abducunt. Sed horum iudicia etiam diuinis testimonijs refutantur. Nam cum scriptum sit: Et erunt lumina in signa, tempora, dies & annos, praecipitur certe aspectio & motuum observatio. Omitto cetera. De annis dicam, quorum rationem teneri Deus voluit, ne retro cogitantes nulla rerum initia constituisse possemus: voluit sciri quae doctrina primum reuelata sit, quo ordine promissiones propagatae sint, voluit sciri tempus quo filius Mediator missus est. Denique manifestum omnium historiarum in vita lumen esse temporum seriem. Haec si magna & digna consideratione hominum ducimus, nequaquam aspernanda erit motuum doctrina.

Quamquam ego quidem nullos unquam Cyclopes tam feros fuisse puto, neque ullam tam horridam barbariem, quae non mensium & annorum intervallo, & spacia notarit, & posteritati tradiderit. Turpissimum est igitur viris doctis, qui ad gubernacula Reipub. sedent, has artes vituperare, & ab earum studiis bona ingenia abducere, cum quidem ipsa curia in maximarum rerum deliberationibus, iudicijs, & multis fori negocijs quotidie de utilitate doctrinae de ratione annorum admoneat.

Cate-

Ceterum bona mentes & si hanc utilitatem, qua multo maior est, quam ut vilius eloquentia pro dignitate prædicari possit, ex hac doctrina expectant, tamen etiam eò certitudinem motuum considerant, ut in mentibus suis hanc sententiam confirment: Hunc mundum & hanc totam rerum naturam non casu ortam esse, aut volui, sed ab aliqua aeterna mente architectatrice conditam esse. Id clarissimè ostendit hic ipse ordo motuum perpetuus summa arte institutus: nam casu orta non feruntur certis & aeternis legibus, & ordine ad vitæ utilitatem accommodato, ac perpetuo. Hoc mirificum spectaculum ideo propositum est hominū mentibus, ut de Deo nos commonefaceret, quem ita prope monstrat, ut Paulus dicat, Penè manibus contrectari Deum posse ostendentem se nobis in hoc suo opificio.

Postremo, dignitatem doctrinae de motibus eo maiorem esse sciamus, quia multas alias artes complectitur, & fons est Geographiæ, qua certè in vita carere non possumus.

Sed venio ad diuinatricem, quam multi homines docti magnis voluminibus insectati sunt.

Est in manibus hominum farrago criminationū à Pico non scripta, sed excerpta ex vetustioribus commentarijs, qui ad huius diuinatricis reprehensionem

G multo

multo ante collecti fuerunt. Hos refutarunt docti viri Bellantius, & alij quidam, & multa leues & ieiunæ cauillationes obijciuntur, quarum repetitio longa, & refutatio non necessaria est. Prudentes verissimo Galeni iudicio contenti sint, qui de ipsis astrorum effectiōibus inquit: Sophisticum est manifestæ experientia velle contradicere. Addit autem esse aliquas siderum ac luminis effectiōes in elementis, & corporibus mixtis, plātis & animantibus manifesta experientia compertum est. Vt scimus ignem calidum esse, aquam humidam (sic enim loquar exempli causa) sic scimus corpora à Sole calefieri, à Luna humectari: Saturni & Martis coniunctionem in Leone aestus & siccitates facere: Lunæ & Iouis coniunctionem in Cancro, augere humores.

Hæc cum perpetua experientia palā testetur, nō dubia sunt, nisi quis Sophisticè, vt Anaxagoras disputare velit, Niuē atrā esse. Cū igitur sint aliqua effectiōes astrorū, & earū animaduersio artem pepererit, non inanē esse hæc diuinatricem necesse est, sed metæ constituentur iā antea à Ptolemæo præscriptæ.

Lumē aduehit qualitates primas et proximas ex his ortas in alia corpora. De aëre his annis multis certissima testimonia vidimus, quæ coniunctiones & eclipses, æstuum, quæ humiditatum magnarum causa fue-

sa fuerint. Sed de homine dicamus.

3

Craspes humanorum corporum & si multū sumūt à materia seu à semine, tamē certum est eas valde tēperari potestate siderū, vt nati paulò ante coniunctiōnē cūm Luna iam radijs Solis tegitur, longe sunt imbecilliores alijs. Rursus hi quibus fulgent magna Saturni et Iouis coniunctiōnes Crasim longe habent faciliorem. Sed longum esset exempla persequi, quæ cōgruere videbit quicunque aspicere ea volet.

De his effectibus, id est temperamentis & inclinationibus, quæ comitantur tēperamenta loquimur, nō referimus ad sidera omnes omnium hominum actiones & euentus. Vt igitur in Medica arte ex cognitione causarū, signorū, et effectuum ars exitit tū iudicandi, tum prædicendi multas corporum mutationes, & ea prædictio Physica, res concessa est, & aliena à superstitione, quia est aspectio diuinorū operū, causarū, signorum, & effectuum: Ita in hac diuinatrice iudicante ex siderum positu, causa, signa, effectus aspiciuntur, & horum consideratio tantum est diuinorum operum aspectio. Quare & concessa est hac ars, et aliena à superstitione. Sed non euagemur extra metas. Nō affirmem⁹ ea, quæ à potestate astrorum nō oriuntur, nec misceamus sortes & illa genera diuinationum, quæ vocat Ptolemæus αἰτιολόγητα.

G ii

Post-

Postquam autem dictum est, temperamentum et inclinationes ab astris oriri, iam prudentes cogitent magnam quidem partem hac initia actionum comitari, ut dicitur: *Natura sequitur semina quisque sua.* Sed tamen cum sint tantum partiales cause, actiones aliunde regi possunt. Ac necesse est eos qui disciplina quadam regere vitam et mores volunt, scire triplices esse diversissimas actionum humanarum causas. Versatissima est voluntas quae aut assentitur, aut repugnat temperamentis: ut C. Caesar repugnat iracundiae, cum victos principes in patriam reuocat.

Alia causa principalis est Deus: ut cum actenditur David, ut praelietur cum Goliath. Haec actio, et similes quales sunt piorum multae, non cientur stellarum viribus aut temperamentis. Sed sunt motus diuini, quos ideo diligenter considerari prodest, ut nos adsuaficiamus ad petendam à Deo gubernationem. Multae sunt praeuae in omnibus inclinationes, et ut sint bonae, tamen magna est hominum infirmitas, et errores, ac hallucinationes plurimae. Quare opus est diuina gubernatione, ut in Psalmis subinde dicitur: *Deduc me domine in via tua.* Estque sapientia necessaria bonis mentibus, scire Deum non alligatum esse ad causas secundas, sed liberrime flectere mentes hominum ad salutaria consilia, etiam si naturae in-

clina-

clinationes tetra minantur. Aspiciamus igitur nos ipsos, & nostros quos regere debemus, nec nos solos hanc nostram Argo gubernare posse arbitremur. Sed adiugamus nobis Deū rectorem, ut toties Deus ipse præcipit. Et Christus inquit: Quanto magis pater cælestis dabit Spiritum sanctum petentibus.

Tertia actionū causa est Diabolus. Nam Neronis furores non à temperamento tantum oriuntur: ac innumerabiles homines bonis naturis præditi horribiliter in scelera ruunt, & opprimuntur tristissimis casibus, ut Saul, Oedipus, quorum facta & euentus non ad causas cælestes referuntur, sed ad Diabolum.

Hæc causarum diuersitatem in vita profectò necesse est considerari, ut ubi natura conformanda sit, ubi reprimenda, quàm valde opus sit gubernatore Deo, et quanta vigilantia cauēda sint insidia Diaboli, cogitemus. Hæc philosophia digna est bonis & doctis, & prodesse eam illi sciunt, qui eam vtrunque exercent.

Quid est disciplina honesta, nisi hæc diligentia regendæ vitæ, quæ nisi prospectis causis existere non potest? Vtilem igitur esse ad mores regendos hanc diuinatricem manifestum est, quæ natura inclinationes monstrat, ut bonæ excitentur arte, & viciosis frenum iniiciatur. Nunc facilis est explicatio dicti Ie-

remia: A signis nolite timere. O dulcem consolationem Ecclesiae, & omnibus Deum inuocantibus propositam. Non ait Ieremias, Nihil esse signa cæli, imò cum nominat signa, portendi aliquid adfirmat. Antequàm Hierosolyma euersa est, quantum fuit prodigiorum, eclipsium, tristium coniunctionum? Hac denunciabāt excidiū illis miserrimis ciuitatibus. Et quanquam in hac infirmitate natura mentes sunt timide, & prodigijs mouentur, sepe expauescebāt eorum pectora & qui Deum vere colebant, tamen his consolationem Christus tradiderat, mansuram esse Ecclesiam, & habituram hospicia in alijs locis.

Sic Christus, cum prædicit horrendos tumultus orbis terrarū, & tristissimas ruinas Imperiorum, adiungit cōsolationem: Instat, inquit, redemptio uestra. Accipere iubet, vt inter illas rerum humanarum confusiones seruemur.

Ita Ieremias, & si impendent magnæ calamitates, tamen vult nos confirmatos vera agnitione et inuocatione Dei, expectare auxilium et liberationem.

Fatendum est esse res malas & sequas mortem, euerfiones vrbiū, spectare necesse coniugum, ac liberorum, abduci in exilia. Hæc non sunt nihil. Et tamen pios ita oportet cōfirmatos esse, ne metu harum rerum cum aut impendēt, aut sunt in conspectu frangantur.

Sapien-

Sapientia est aspicere naturam suam, sed magis necessaria sapientia est rectorem Deum adiungere. Si quid mali aut astrorum positus, aut naturę inclinatio minuitur, sciamus Deum & posse & velle moderari euentus, si ipsum verè inuocemus. Sciendum est autem & quo ordine actiones suscipiende sint. Nō moueat bella Pompeius fretus astrorū positu, sed obtemperet vocationi. Et cū vocatio postulat arma capi, mandatum Dei omnibus terroribus anteferatur.

Relinquitur ergo hęc diuinatricem, doctrinam esse physicam, ac naturę aspectionem, in qua temperamenta, & inclinationes, quantum fieri potest, indicantur, & ad causas cęlestes referuntur, quas easdem res & medici cōsiderant, sed referunt ad causas propiores, scilicet ad materiam. Sape autem opus est utrasq; causas, propiores & remotiores aspicere. Talis autem Physica naturę aspectio non est superstitiosa, cum sit consideratio diuinorum operum, quam docuit homines experientia, ut reliquam physicen, ut herbarum vires in medicando.

Basilius in enarratione capituli de rerum creatione, siderum effectiones tollit hoc argumēto: Si à sideribus viciose inclinationes, aut scelera orirentur, Deus causa esset humanorum vitiorum ac furorum. Hęc ratiocinatio plausibilis videri possit Ethnico.

Nobis

Nobis in Ecclesia dolorem augere debet, quod hac prestans natura, nequaquam volente Deo, in has tantas arumnas se ipsa proiecerit. Si hominum natura mansisset integra, fulsisset in nobis lux diuina, gubernatrix omnium motuum, & Stella in materia non contaminata alias actiones habuissent. At nunc in his sordibus infeliciores sunt actiones, & extincta est illa lux; quæ rexisset omnes humanos motus. Hæc deploranda sunt in Basilij ratiocinatione, non deijcienda de cælo sidera, & cogitandum quantum decus humana natura amiserit, quàm triste malum sit peccatum, propter quod hæc nostra temperamenta nunc belluinis similia sunt.

Ad hanc autem responsionem, deinde hæc addenda est: Ne nunc quidem stellas scelerum causas esse, quia, etsi inclinationes ab eis oriuntur, tamen hæ non sunt integræ actionum causæ. Sed voluntas præcipua causa est actionum, quæ quidem et potest, & debet frenare inclinationes. Non enim fatalem necessitatem constituimus, nec cogi Neronem à stellis ad tanta scelera dicimus. Sed accersuit ipse sibi hos furores. volens, et indulgentem cupiditatibus, magis magisque incitauit Diabolus, Ac multo sit deterior Nero quàm qualem natura, quamuis infauista, sinxerat.

Nunc responsionem ad Basilij argumentum, vides

des non leuem commonefactionem esse de nostris miseris, & veris earum causis.

At obijciunt, Paucissimas esse demonstrationes de effectioibus siderum. Socrates de vniuersa humana sapientia inquit, homines aut pauca, aut nihil scire, quorum alterum falsum est. Vult enim Deus aliquam in hominū mentibus lucem esse reliquam, notitias numerorum, figurarum, legum naturæ, phycas multas. Et si autē magna est infirmitas humanae mentis, & facilis hallucinatio, & multa errata: tamē ille notitiæ quæ diuinitus monstratae sunt, nō sunt abijciendæ. Et aliarum paucarum notitiarum cum recte euoluuntur, magna est amplitudo, vt in singulis artibus prudentes artifices magna cum admiratione diuinæ sapientiæ animaduertunt. Ita fateor de effectioibus stellarum paucas esse demonstrationes. Sed tamen ex his ipsis, si euoluantur, si dextrè & prudenter ad vitam accommodentur, valde multa iudicari possunt. At sæpe fallimur, sapius etiam quàm in ceteris artibus. Fateor hoc quoque. Nec tamen ars nulla est. Quid est enim familiarius homini, quàm hallucinari ac errare? Sed manent tamen aliquæ veræ notitiæ, quas alij magis, alij minus dextrè ad ea de quibus iudicāt, accommodant. Et de futuris rebus etiam pauca prospicere, & vtile & magnum est. Nec
H prorsus

prorsus de nihilo dictum:

*Qui sapit, ille animum fortuna preparat omni,
Præuisumq; potest arte leuare malum.*

Hæc ærumnosa hominum natura premitur ingētibus miserijs multo pluribus, quàm quas astra denūciant. Non igitur queramus philosophiam humanā, quæ depellat omnia pericula & mala, sicut nec mors tolli medicatione potest, imò nec morbi omnes pelli possunt. Agnoscamus nos esse massam peccati, ac propter iram Dei singulos et pœnas propriorum lapsuum ferre, & publicarum miseriæ societate feriri. Et tamen cum accedit agnitio vera filij Dei, Domini nostri Iesu Christi, experientur se præsidia vitæ maiora habere, quàm si Cræsiopes, arces, & exercitus haberent.

Nec omnino verum est Pindari dictū, qui Physicos ait δὲ πῦρ ἀτελὴ καὶ οὐ σοφίας. Nō semp opitulantur artes. Imò multa sunt in multis artibus, nondū satis patefacta. Fruendū est tamē ea doctrina, quam Deus & conspici, & adminiculum aliquod vitæ esse voluit.

Cū igitur hæc diuinatrix sit Physica quadam temperamentorum & inclinationum humanarum affectio, et causarum caelestium collatio, ex vera experientia extructa ars est & concessa, & qua bonæ mentes

mentes bene vti possunt, vt medicis prædictionibus. Ideo vtile est reliquias veterum scriptorum in hoc genere seruari. Ac mihi clarissimus vir Ioannes Schonerus, quem ego pene solum hac nostra ætate artificem in hoc genere esse, vere confirmare possum, vtilissimam operam præstitisse videtur, quod & ab alijs tradita, & à se longo vsu obseruata in vnum corpus coëgit, et tãquam dissipatas aedificij partes bellissime extruxit, vt tota ars sine magno negotio à studiosis perdisci possit. Etsi enim, vt solet, alia præcepta alijs sunt firmiora, tamen prudẽtes delectum adhibere poterunt. Nec sua laude ideo Schonerus priuari debet, qui insigni hoc suo labore id egit ne ars tota, & magna pars vera physices interiret. Hac igitur bonis studiosis, amantibus philosophia, & vniuersa doctrina, de motibus & effectibus cœlestibus eduntur. Hi legant, & sese ad amorem omnium bonarum artium, & ad cogitationem de diuersis causis actionum humanarum, & de tota gubernatione vitæ exuscitẽt, & naturę infirmitatem contemplantēs, confugiant ad Deum æternum patrem Domini nostri Iesu Christi, & huius mediatoris fiducia petant, vt diuinitus regamur & defendamur.

Finis.

H ij

ASTROLOGIAE

PARS PRAEFATIONIS EIVS-

dem, in sphaeram Io. de sacro bosco.



Ed sunt nonnulli Epicurei, qui totum hoc doctrinae genus irrident, nec solum praedictionibus fidem detrahunt, sed etiam vituperant motuum cognitionem: quos sinamus vnà cum Epicuro ineptire. Sunt enim eiusmodi, ut magis opus habeant medicis, quam geometris. Est enim manifestum insaniae genus aspernari motuum cognitionem, quae habet eruditissimas & firmissimas rationes, ut maximè alteram illam partem diuinatricem omittamus. Quanquam mihi neque Picus, neque quisquam alius persuasit, sidera nullos habere effectus in elementis, & in animantium corporibus, praeterea nullas significationes in hac inferiore natura. Nam experientia ostendit ardētium stellarum congressus vrere haec corpora, & siccitates afferre: rursus etiam congressus humētium siderū, augere humores. Deinde variè mixta lumina variè quae temperatae qualitates, ut in pharmacis res dissimilimae aliter temperatae alios habent effectus. Ideoque rectè dixisse Aristotelem iudico, cum ait, hunc inferiorem mundum à superiore gubernari, & superiora causam motus in inferioribus corporibus esse: & addit

addit rationem prudentissime cogitatam. Cum initium motus sit à cælo, consequi, motum cæli & reliquis causam motus esse. Hæc enim sunt eius verba, quæ adscribemus, ut meminerint adolescentes, tanquam oraculum, ἔσι δ' ἵβ' ἀνάγκης εὐαιχῆς πῶς οὗτος ταῖς ἀνθρώπων φορῶν, ὥστε πᾶσα ἀντὶ τῶν δυνάμεων κυβερᾶσθαι ἐκείνων· ὅθεν ὃ ἡ τῆς κινήσεως ἀρχὴ πᾶσι, δὲ ἐν τῷ αἰτίᾳ νομοῖτο πρῶτον. Sicut enim in his nostris corporibus vita seu primus motus, qui in corde existit ciet motum in alijs membris: ita cum haud dubiè motus cæli primus sit, reliqua corpora incitat, ut suos quosdam motus efficiant: Neque verò quisquam rectè institutus in Philosophia aliter sensit unquā. Nā & medici, qui solent in materia potius quàm in cælo rerum causas quærere, tamen multa referunt ad siderum constitutiones, sicut ostendit libellus, qui Hippocrati asscribitur, de aëre, aquis & locis. Atque hæc non dissentiunt à Christiana doctrina, quæ etsi docet nos omnia diuinitus gubernari, tamen non tollit naturales actiones ac significationes rerum, sicut in alienis corporibus apparet: quibus etsi vitam ac motum Deus impertit, tamen ea foueri, ac pasci cibo, potu & alijs rebus ad vitam tuendam conditis iubet. Ac prudentia digna Christiano est iudicare, quæ sint communes actiones Dei & naturæ, quæ sint propria

H ij Dei

Dei supra naturam positis. Et ut de homine proprie dicamus, sepe mihi cogitanti, tria videntur genera actionum in homines cadere. Notissimum est, quod à natura hominis proficiscitur, sensu ac ratione. Ad id pertinent inclinationes, quae sequuntur temperamenta qualitatum. Videmus enim dissimilitudines ingeniorum infinitas, quae profecto pariunt dissimiles actiones, quemadmodum poeta verè significauit, cum inquit, Natura sequitur semina quisque suae. Quid enim tam receptum apud medicos est, quàm τὰ ἰδιόματα τὰ πάθη corporum dispositionem imitari? Idque res loquitur ipsa, ἢ in homine bilioso existere nulla posse, sed excitari in eo immoderatos impetus, quasi ventos, magna & vehemētia πᾶσι, quae difficillime possit ratio regere aut flectere. Si quis autem considerabit diuersas regionum naturas, & diuersarum gentium ingenia, quam aliam causam huius dissimilitudinis ostendere poterit, quàm cæli naturam? Vnde facile iudicari potest in miscendis temperamentis corporum atque ingeniorum inter alias causas etiā luminis naturam concurrere. Neque ego nihil educationem, consuetudinem, institutionem, leges atque consilia in regendis inclinationibus istis proficere iudico, sed hæc quoque pono in hoc genere actionum, quod à natura proficiscitur. Alterum genus est actionum;

quæ

quæ supra naturã existant in homine diuinitus. Hoc est enim Christiana mētis intelligere ac sentire, diuinitus homines custodiri atq; gubernari: etsi autem ita gubernat Deus, vt naturę suas partes etiã aliquo modo relinquat, tamen multa corrigit in natura, & multarum rerum euentus cōcedit alios, quàm quales proponit natura. Neque enim Moses beneficio astrorū seruatus est, cū euaderet via per mare patefacta: neque Petrus cum per Angelum è carcere educeretur, siderum beneficio liberatus est: neque Paulus ex hoste Euangelij potestate astrorum pius factus est. Talium operum causam, propriè ad Deum referendam esse nemo non intelligit. Sicut igitur naturę vires in alijs partibus eatenus recipimus, ne Regnum Christi tollant: ita suas vires lumini eatenus tribuemus, ne quid de gloria Christi detrahatur, cui cū omnia subiecta sint, iure etiam sentiendum est, stellarum vires ei parere oportere. Ac bonæ mētes hac sententia erigere se atque confirmare debent aduersus tristes significationes, quę non raro mirabiliter animos in tanta naturæ humanæ imbecillitate perturbant. Atque vt aliàs verbum Dei anteferre nostris opinionibus debemus: ita aduersus has significationes, animi verbo Dei ac promissionibus diuinis confirmandi sunt. I d q; vulgata

gata sententiâ docet, quæ citatur ex Ieremia, Nolite timere à signis cali, quæ timent Gentes. Neque enim negat Propheta signa esse, sed cum signa nominet, sentit ea, res magnas atque tristes minari. Consolatur autem pios, ne ea metuant, non quia nihil significant, sed ut cõfident se diuinitus inter illa pericula tegi ac seruari. Sicut mortem timere Christus prohibet, nõ quia mors non sit aspera: sed ut sciamus nobis etiã in morte ipsum adesse Christum, ut nos seruet. Erigenda igitur mens est supra vniuersam hanc corporalem naturam, vel si fractus illabatur orbis: nec patiendum ut verbum Dei, ut fiducia erga Deum nobis excutiat: qua sicut muniuntur piæ mentes aduersus presentia pericula, ita muniendæ erũt etiam aduersus inimicas astrorum significationes. Sicut igitur aliæ partes Physices non lædunt religionem Christianam, ita neque Astrologia: nam hanc quoque partem physices esse sentimus: nec officit pietati, si quis in loco utatur. Ac præter hæc duo actionum genera, quæ recensui, reliquum est tertium genus actionum, ad quas suscipiendas animi contra naturam, à Diabolo magno motu impelluntur. Neque enim aut astris, aut alijs naturalibus causis, sed Diabolo recte tribuentur Neronis & similium Tyrannorum prodigiose libidines atque parricidia. Itaque cùm humani animi

non

non vno tantum genere causa moueantur, cōsequitur
 leges fatorum varijs modis impediri, interdū afflatu
 diuino, interdum institutione, interdum deliberatio-
 ne, interdum etiam in deterius flecti à Diabolo. Præ-
 clarè igitur inquit Ptolemaus, astrologorum decreta
 non esse prætoria. Nam prætoris edicta populum pa-
 rere cogunt, illæ vero significationes non afferunt vim
 hominibus, etsi non vbiq̃ue sunt otiosæ. Atque harum
 rerum exempla suppeditant historiæ. Sed hæc dispu-
 tatio longior est, quā vt hic explicari tota possit. Hæc
 enim ideo commemoravi, ne adolescentes in totum dā-
 nent hunc chorum artium, propterea quod imperiti
 quidem irrident diuinationes. Nam illa doctrina de
 motibus, cognitionem habet suauissimam, & homi-
 ne dignissimam. Et si quis adhibebit iudicium, intel-
 liget alteram partem artis, diuinatricem videlicet,
 perinde esse partem physices sicut medicorum præ-
 dictiones pars quadam physices esse existimantur.
 Neque enim illa pulcherrima corpora siderum fru-
 stra condita esse sentiendum est. Præsertim cū ille
 ordo atq; cursus summa ratione constet: adeo vt quæ-
 dam quasi Politia in cælo, velut in poëmate depicta
 esse videatur. Sol enim qui regnare videtur, in medio
 orbe vehitur, stipatus senatoribus, bellatore, atq; ora-
 tore: habet & æconomas Lunam & Venerem. Nā

I hæ

hae praecipue dominantur in ciendis humoribus, quibus aluntur corpora. Cum autem & hic admirabilis ordo ac positus, deinde certissimae leges cursus testentur, hoc opificium summa ratione constare, non est consentaneum astra nullas significationes, nullos effectus habere. Neque verò frustra dicunt sacra litera, Erunt in signa, tempora, & dies, & annos. Hic non solum inquit annos, dierum & noctium vices, discrimina temporum, videlicet aestatis atque hyemis ab astris confici, sed addit etiam de signis. Idque interpretatur consensus omnium seculorum, quo compertum est eclipses semper habuisse tristes euentus. Non est autem hominis bene instituti, dissentire à consensu tot seculorum.

PARS PRAEFATIONIS EIVS-
dem in tabulas resolutas Schoneri.

Quare generosa ingenia decet abhorreere auribus atq; animis ab Epicureis illis, qui hanc certissimam motuum scientiam aspernantur. Magna vero etiam vis & utilitas est etiam alterius partis, videlicet doctrina praedictionum, quae sumuntur à causis caelestibus. Nam & Galenus autor gravissimus affirmat affici animantium corpora à lumine planetarum magnamq; vim omnium planetarum esse in temperamenti & miscendis & turbandis. Et quidem gravi-
ter

ter reprehendit eos qui dissentiunt. Ait enim experientiam manifestā testari hanc vim esse siderum: sophisticum vero esse, negare manifestam experientiam. Multa iudicari possunt ex positu Astrorum de varietudine corporum, de ingenijs & inclinationibus, deq; multis in vita casibus, de tempestatibus, de mutationibus rerumpub. Plurimum autem tatarum rerum consideratio & animaduersio conducit prudentibus. Nec pugnat religio Christiana cum hac sententia, nec damnant has prædictiones sacrae literæ. Sunt enim pars quædam physices, sicut Medicorum prædictiones. Sumuntur enim à causis naturalibus. Diuinitus alia vis est indita Soli, alia Lunæ, ut vis est alia piperis, alia maluæ: & pium est agnoscere opera dei et obseruare vires illis inditas. Sed hæc disputatio longior est, quàm ut hic tractari tota possit, et extant libri eruditissime scripti multorum, qui Pici et aliorum similibus calumnijs respondet. Illud tantum adiiciendum esse putavi: Iniquum est pronunciare priusquam causam cognoueris, At illi vituperant hanc doctrinam qui simpliciter eam ignorant, Quare eorum iudicia merito deridentur. Non temere dissentendum est ab eruditissimorum & prudentissimorum hominum iudicijs, qui cum harum artium vim & usum cognouissent, posteris eas,

I ij tan-

tanquam vitæ viles tradendas esse putauerunt. Et arrogantia est cum summa stultitia coniuncta, venari choragium aliquod gloriae ex insectatione artium, quæ sunt graui autoritate doctorum & prudentium recepta.

ORATIO MILICHII de Astrologia.



Primè institutum est, vt in his spectaculis de dignitate artium, & de virtutū laude dicatur, quod ea oratio cum ad formanda iudicia iuuentutis, tū ad accendendos animos ad amorem bonarum rerum, magnam vim habet. Etsi autem præcipue solet ad iuuentutis vtilitatem hoc loco accommodari oratio, tamen ne cæteris quidem vllum acroama est iucundius, quàm artium & virtutum encomia, quas vt quisque intelligit, ita vehementissime admiratur. Quare & si oratio nostra aptior futura erat iuuentuti, tamen ne vobis quidem ingratam fore cōfido, quorum quo maior est eruditio & prudentia, eo magis delectari vos cogitatione ipsa artium arbitror. Dicam autem de ea parte Astrologiæ, quæ de siderum effectibus in natura inferiore disputat. Id quæ argumentum eo sumpsi libētius, quia mihi

mihī non in turba imperitorum, sed apud homines doctos, & philosophiæ deditos, dicendum esse intelligebam. Ut autem Græci rhetores summa prudentia in definitione artis dixerunt: artem non solum oportere veram notitiā esse, sed addiderunt etiam, oportere vtilem ad vitam esse. Ita ego vtrunque disputabo, & veram esse doctrinam de cælestibus effectibus, et magnas ad vitam utilitates asserere. Atque hic principio à vobis peto, quod aq̃uissimum est, ne conferatis in artem errata artificum, qua de re longius mihi dicendum esset, nisi apud eruditissimos homines haberetur oratio. Sed aliud est crimen quod etiā apud doctos detrahit fidem arti, quod videlicet in hac infinita casuum humanorum varietate, ars ipsa non præuidet omnia: negant igitur homines acuti artem, hoc est, vniuersalem & perpetuam doctrinam existere posse, ex particularibus paucorum euentuum observationibus: quasi vero aut medicina morbos curet omnes, aut politica sapientia omnes Rerum tempestates prospicere, mederi omnibus incommodis possit. Et tamen concedendum est, multa vtriusque artis vera & firma præcepta esse, & ad vitam utilia. Ita sunt huius diuinatricis veræ quedam & perpetuæ significationes, pauciores fortasse (nihil enim dissimulo) quam medicorum. Nā hæc ars versatur in rebus

I iij procul

procul positus à nostro cōspectu: et cū hominū temperamenta moresque dijudicet, & vaticinetur de futuris maximarum in vita rerum mutationibus, diuinitas quædam esse videtur. Quare etiam si non tā multa sunt huius artis demōstrationes, quā ceterarum leuiorum artium, artis hoc magnitudini tribuatur. Et quidem eo maiore cura quantulumcunque est huius artis, quod superi monstrarunt hominibus, conseruari debet, eo maiore studio intendenda mens est in has significationes, quæ compertæ sunt: nam harum quoque maxima vis est, & multiplex in vita vtilitas. Non solum inepti, sed etiam improbi sunt, qui falsis persuasionibus ornare aut amplificare artes conātur. Ego ingenue profiteor, non omnium euentuum significationes compertas esse, sed idem affirmo multas esse certas minimeq; fallaces significationes, quas si quis animaduernerit, magnum ad regendam naturam et plerosq; fortuna impetus gubernados, adminiculum habet. Extenuat hanc artē & Fauorinus apud Gellium, & dicit pauca quædam prævideri τὰ χυμῶν ἐς ἑσπέραν, non solum non repugno, sed etiam plausum do, quod ait τὰ χυμῶν ἐς ἑσπέραν amplissimo præconio ornavit artem, siquidem quædam in natura aut moribus præcipua animaduerti posse inquit. At ex his homines sagaces plurima postea iudicāt. Videtis in moribus

bus. quā multa coniiciātur ex vno aliquo gestu, aut cachinno. Ita cū certæ notæ quarundam præcipuarū rerū sint impressæ naturæ, multæ ex his postea coniecturæ sumuntur. Fortassis autem non esset ars ducenda Astrologia, si tantum constaret coniecturis. Nam ars est eorum quæ non fallunt. Verū & hæc ipsa ars, ut medicina & politica, primum certis observationibus cōstat, postea ex his multæ oriūtur cōiecturæ. Vidit astrologus in genesi Catilinæ diros posit⁹ atq; aspectus planetarum, qui significabant animi crudelitatem, audaciam, preposterōs mores, inquieta & infælicia consilia. Fac non potuisse certo prædicere, Catilinam Cicerone Consule, moturum esse seditionem, deinde futurum, ut in acie in Apennini radicibus interficeretur. At animaduersis illis infauistis significationibus, quæ quidem sunt certæ, coniungere potuit futurum ciuem turbulentum, seditiosum, & vitæ futurum exitum tragicum. Ita insignia quædam in temperamenti ac moribus τὰ χαρακτῆρες iudicari possunt, quæ non fallunt. Non igitur eo aspernanda est hæc ars, quia non omnia præuidet. Quam pauca certæ sunt in ceteris optimis artibus, & ut iam non de medicina, aut de politica dicamus: num ideo tota doctrina de meteoris vituperanda est, quia paucas habet demonstrationes, postea plurima conficit conie-

coniecturis. In ipsa agricultura quàm saepe fallimur, num ideo non sunt colendi agri? Quin potius utamur artium beneficijs, & consideremus quousque humana mens progredi possit. Me quidem non solum utilitas in his artibus delectat, quam in medendo & alijs rebus animaduerto, sed multo magis hoc, quod cū hunc mirificum consensum corporum caelestium & inferiorum contemplor, ipse me ordo & harmonia admonet, mundum non casu ferri, sed regi diuinitus. Hæc respondere volui ad vulgare conuicium, prius quàm de arte dicerem. Est autem initio veluti definitio quadam constituenda Astrologia, ut eam à superstitiosis diuinationibus, quas Ptolomæus ἀντικατολογίτους vocat, separemus. Astrologia pars est physices, quæ docet quos effectus astrorum lumen in elementis & mixtis corporibus habeat, qualia temperamēta, quas alterationes, quas inclinationes pariat. Et quia inclinationibus saepe mores, studia, consilia, casus respondent, ut ille inquit: Natura sequitur semina quisque suæ: ideo horum quoque significationes aliquas monstrat. Quod si constabit sydera habere aliquos effectus, plane concedendum erit, hanc artem esse physices partem, perinde ut prædictiones medicorum. Nec ego nunc de hac parte prolixè disputabo, sed vnum Galeni oraculum in hac causa recitabo, qui

qui non solum reprehendit, sed etiam graviter obiurgat illos, qui negant inferiora corpora affici à lumine cælesti, & inquit, Sophisticum esse, negare manifestâ experientiam. Ergo & fatetur se experientia victum tribuere magnam vim lumini in inferioribus corporibus, & eos qui dissentiunt seuerissimè taxat. An dubium est, vices æstatis atq; hyemis effici Solis accessu & discessu? Solis lumen calefacere & desiccare? Lunam humectare? Hac si manifesta & perpetua sunt in his duobus clarissimis syderibus, cur cætera putemus frustra condita esse? Iam perpetua experientia testatur, insignes Coniunctiones habere insignes effectus, idq; in tempestatibus palam apparet. Vidistis concursum planetarū in humido signo, Anno viceesimoquarto: Intumuerunt ubiq; omnes aqua, humida tempestates totius biennij fuerūt. Hac æstate pluuias crebriores omnium opinione, & insalubres tempestatum variationes attulerunt, Iupiter in Piscibus, Mars in Tauro. Possẽm alia multa exempla recitare, si temporis angustia non prohiberet. Nec verò dubium est, ut Solis & Lunæ, ita cæterorum planetarum lumen variare tempestates, et aërem, & corpora nostra afficere. Res ipsa loquitur in herbis, in metallis, denique in contemptissimis rebus, maximâ vim esse, & iure laudatur illud veteris poëtæ:

K

ἔττι

ὅττι καὶ ἐν μάλιστα καὶ ἀσφοδὲ λευγαύται.

Quod cum ita sit cur putemus frustra condita esse illa pulcherrima lumina, cum quidem nulla sit natura praestantior aut efficacior lumine? Quin ipse leges motuum, nonne significant temperari lumen Solis & Luna ceterorum planetarum aspectu? Mercurius & Venus nunquam procul à Sole discedunt. Superiores planeta ita discedunt, ut tamen in Epicyclis ad medium apogeon cum Sole semper congruant. Porro & Hippocrates testatur, tempestates excitari & variari visyderum. Et dissimilitudinem non solum regionum, sed etiam ingeniorum ac morum in diuersis regionibus docet oriri à caelestibus causis. Hec cum sint certa, constat artis initium verum ac certum esse, videlicet quod lumen caeleste magnam vim habeat in elementis & mixtis temperandis & alterandis. Deinde & hoc manifesta experientia testatur, lumen planetarum dissimile esse, Saturni melancholicum, Iouis temperatum, Martis cholicum, Solis visificum, Mercurij siccius, Veneris & Luna humidius. Et haec varie posita, miras mixturas efficiunt: ut cum in medicamentis varia herbae miscentur, in eam tu voces. Haec dixi breuius, non solum quod habenda fuit ratio temporis, sed etiam quod vobis doctissimis hominibus satis probata esse arbitrabar.

Venio

Venio igitur ad alteram partem, videlicet ut de utilitate dicam. Nec vero existimo quēquam adeò superstitiosum esse, ut neget in medendo conducere observationem syderum. Cumque de hac re & praecepta extent, & nota sit experientia, non ero longior. Quanto est autem illa maior utilitas, non solum in agrotis corporibus, sed multo magis in Rebus pub. cōsiderare mutationum maximarum seu causas seu significationes, ut accommodare ad eas nostra consilia possimus, & arte mitigare incommoda. Vere enim, inquit Plato, Syderum circuitus efficere varias vices non solum animātium corporibus, sed etiam vniuersae naturae rerum, vitae hominū, Imperijs & Rebus pub. Ut autem agricolis praecipitur, ut tempestatum signa obseruent, ita magni viri in Repub. mutationū signa intelligere & cōsiderare debent. Et quidem in scriptis politicis colliguntur signa sumpta à moribus & voluntatibus: Sicut medici morbos ex intemperantia, aut corruptione humorum praedicunt. Sed magno et sapienti viro magnopere prodest, etiam haec caelestia signa animaduvertere, ut regere aliquo modo fortunam, & cauere saevas tempestates, vel certè mitigare possit. Recte enim dictum est:

Qui sapit, ille animum fortunae praeparat omni:

K ij

Pra-

Præuisumq; potest arte leuare malum.

Etenim si significationes illæ nō sunt consideranda, cur diuinitus in cælo scriptæ ac pictæ sunt? cū autē Deus has notas impresserit cælo, vt Rebus pub. denūciaret ingentes casus, impietas est, animos ab hac obseruatione prorsus auertere. Eclipses, Coniunctiones, Prodigia, Traiectiones, Cometa, quid sunt nisi Dei oracula? qui minitatur vitæ hominum ingentes calamitates ac mutationes. Hæc si quis contemnit, Dei monitus aspernatur. Quatenus autem hæc metui debeant, quantum omnino tribuendum sit cælestibus signis, discet idem ille vir magnus ex sacris literis, ne obrepat animo impia vel confidentia vel desperatio. Vt in agricultura, in nauigando, non est irreligiosum obseruare prognostica tempestatum: ita in administratione rerum, cōsiderare naturales significationes, quas Deus proposuit, vt nos vigilantiores reddat, & curam in nobis acuat, pium & vtile est. Sed videamus priuatos mores. Si quis naturæ suæ inclinationē intelligit, alere bona & confirmare, & vitare vitia diligentia ac ratione potest. Verum est enim quod ait Ptolemæus: Sapiens anima adiuvat cælestem operationem, quemadmodum optimus agricola arando expurgandoque adiuvat naturam. Hoc latè patet in cura valetudinis, in deligendo genere vitæ, studiū, in susci-

suscipiendis negotijs vel aptis vel abhorrentibus ab ingenio. Si Curionis aut Antonij parentes satis intellexissent naturam filiorum, flectere singulari arte fera & inquieta ingenia ad moderationem potuissent. Philippum Macedonem accepimus regem in primis callidum, cum animaduertisset in filio Alexandro non sanè prauam, sed tamen asperiores & impatientem imperij naturam esse, videretq; eum non patidomitorem asperum, cœpit consiliū, doctrina & philosophia flectendi eum ad suauitatem & comitatem. Hac ratione adeò excoluit illam naturam, ut in ipso cursu victoriarum vix quisquam fuerit vnquam humanior ac moderatior. Ita prodest videre quo quemque ducat natura, ut disciplina idonea ad virtutē flectatur, & à vitijs abducatur. Possem & alias utilitates æconomicas colligere, sed has persequi longum fuerit. Vos igitur cādidiati, quia iam philosophia vos publicè addicitis, ut reliquas partes pro virili amplecti, excolere, & ornare debetis: ita memineritis hanc quoque partem amandam esse. Non solum stultitia, sed peruersitas est, aucupari ingenij laudem ex infestatione bonarum artium. Nam viros bonos decet, præclaras artes & utiles vitæ pro virili ornare, ut ad earum studia quamplurimi inuitentur.

Dixi.

K iij

PARS

ASTROLOGIAE
PARS PRAEFATIONIS SCHO-
neri in canones Io. Vernerii de muta-
tione aera.



Ibi vero, ornatissime D. Doctor, hunc libellum vel eo nomine inscribendum putavi, quod hæc ipsa pars physices quam tractat, plurimum vel ornamenti vel emolumenti adferat medicæ facultati. Nam ipsa experientia ostendit magnam vim esse luminis cælestis in afficiendis corporibus inferioris naturæ. Quod & Galenus affirmat, & addidit Sophisticum esse, negare manifestam experientiam. Et quis non videt ægra corpora variè affici syderibus; diuersas scientibus aëris tempestatumq; constitutiones ac vicissitudines? In hanc sententiam & Hippocrates testatur tempestates excitari, & mutari vi siderum, ac varietatem illam non solum regionum, sed & ingeniorum ac morum oriri à cælestibus causis. Certum est enim lumen cælestic magnos & insignes habere effectus in elementis & mixtis temperandis vel alterandis. Neq; hoc obscurum est sidera dissimilia esse, Saturni melancholicum, Iouis temperatū, Martis cholericum, Solis viuificum, Mercurij siccum, Veneris et Lunæ humidiora. Hæc ergo multifariam inter se ra-
dijs

*dijs corporibusque iuncta, mirificas efficere qualita-
tum mixtiones quis dubitat? Experimur in pharma-
cis herbas variè mixtas diuersas inducere corporibus
qualitates, varijsque mederi morbis ac discrasijs.
Quare & superstitiosum esse fateri cogemur, & so-
phisticum (vt Galeni verbo utar) qui neget in medē-
do obseruandos esse infanctos aut fœlices stellarũ po-
situs, cùm experientia nota sit & ratio praeceptorum
luce meridiana clarior. Hæc breuius dixi, vel
quòd tibi homini doctissimo isthac perspectis-
sima, probatissimaque esse intelligebam,
vel quòd ipsa rei perspicuitas nõ de-
siderabat longiorem ora-
tionem.*

F I N I S.

ASTROLOGIAE VERBA PITATI EXEPHE- meridibus desumpta.

Quomodo homini futura prænoscere, atque uaticinari liceat
contra uulgarem quorundam sententiam.



Abiectis execrabilibus artis magicæ vani-
tatibus, diabolicæ inquam non diuinæ, ac
naturalis, reiectisque alijs superstitioni-
bus, atque illorum dictis, qui ex astris o-
mnia futura necessitate fatali euenire senserunt, qui-
que terminos astronomica potestatis respectu liberi
arbitrii superbè exceſſerunt, opinionem quoque eorum
refragabimur, qui futura aliqua quauis humana ſci-
entia prædici poſſe abnegantes (vt astronomia, &
chiromantia, physiognomia & geomantia, quæ ſors
& casualis figuratio, leuitasque inanem & ſuſpe-
ctam reddit) dum hoc ſolummodo diuinæ menti re-
ſeruatum aſtruunt, ipſius bonitati, ac liberalitati de-
rogant. Si nanque Deus immenſa ſui ipſius munifi-
centia cæleſtibus corporibus, ac elementaribus virtu-
tibus nouas res quotidie, vt mineralia, vegetabilia, no-
uæque animalia, & hominem (quum Sol & homo
generet hominem) alterum quoque producere, ac ge-
nerare conceſſit, volucres quoque cæli, & animalia
quædam naturali inſtinctu æris perturbationem, &
temperiem, futuramque cantu ſerenitatem, vel motu ali-

aliquo corporis prænunciare donauit : quis illum homini suam ipsius imaginem gerenti, cuique diuinum quid afflatu suo inspirauit, & quod maius est, cui hominem alterū à peccatis absolvere, & emundare cōcessit (quod diuinæ tantum competit potestati) futura modo aliqua prænoscere, magis quàm volatilia, et quadrupedia, & altius elargitū fuisse negabit? Præceteris ergo Noam, exinde patres alios (si Iosepho, & Berofo Chaldaeo credimus) alijs non minus diuinis, & cælestibus disciplinis edoctum Astrologiam cælitus (quod facile credi potest) edocuit, quæ ille Armenios, & Scytas parum post vniuersale diluuium instruxit, vt quid ab anni initio, & cardinibus eius per annum reliquum futurum esset decerneret, ob quæ rem illum diuinæ mentis participem esse dixerunt. Sic pater ille multarum gentium Chaldaeos, & Aegyptios æquè doctos fecit. Nec minus & nos, per hanc (quam theologiâ naturalem Petrus Cardinalis Cameracensis in libro Concordantiæ Astrologiæ cum Theologia, merito nuncupauit) dum syderum cursus emensi, atque edocti fuerimus, agnito cæli situ, ac stellarum dispositione per interrogationes ascendens, siue per horam exitus infantis ex vtero materno, perque coniunctiones, & aspectus planetarum, atq; eclipses luminarium futura contingentia in hoc sæculo, non

L tamen

tamen necessitate absoluta sed conditionata praeiudicare poterimus. Est namque caelum (quod Theologi quoque non inficiantur, ut Thomas de Vio Caietanus super psal. 104. vehiculum divinae virtutis quo mediante motu, & lumine densitatum, ac stellarum ipsius, tanquam secundis causis, Deus cuncta haec inferiora, & elementaria corpora ordinat, atque disponit. Ex quo vultus huius saeculi subiecti sunt latioribus superioribus, ut omnis huiusce mundi virtus inde gubernetur, ut Philosophus, & Astrologus aequae attestantur. Unde agnita caeli dispositione, futura mundi contingentia facile admodum erit praecognoscere. Cum namque Deus caelum sicut pellem extenderet, formans universitatis librum. Futura quoque accidentia, quae vim naturae minimè excedunt, in eodem mirifice descripsit. Unde caeli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum. Et Deus fecit luminaria magna, ut ultra temporum divisionem, essent nobis in signa videlicet futura pestilentiae, belli, penuriae, pacis, & abundantiae, ac ceterorum naturalium euentuum. nec eis causalitatem attribuit Moses legislator, ne Iudaei simplices à veri Dei cultu deviant, quod expositorum aliqui minime tacuerunt, ut Alphonsus Episcopus Abulensis (neque enim hoc de signis caelestibus intelligi potuit, quum non luminaria

minaria, sed stellæ cælo affixæ signa eiusdem efficiant) Noluit quoque & filius Dei vnigenitus tanquam verus homo libri æternitatis eiusdem literis deesse, vt ea quæ hominis sunt, velut natiuitas, mortis aculeus, & alia plurima per figuram cæli significarentur, quæ tamē vim humanæ naturæ minime excedūt nō ea quæ soli potestati diuinæ mere ac liberè subsunt. Non quod figura cæli causa esset quod Christus nasceretur, sicuti neque oracula prophetarum causa fuere, quod Iesus pateretur. Sed potius (vt inquit. Alber- tus in speculo) significatio fuerat, Immo & vero verius ipse erat causa quare modus admirandæ suæ natiuitatis per cælum significaretur. Verum nos ne contra catholicorum dicta, ac diuinam legem, contrāq; veram ac naturalem Astronomiam in pronostican- dis futuris in hoc sæculo cōtingat sæpius aberrare, tria nosce oportet futurorum euentuum genera. Quorum aliqua sunt primum, quæ habent causam determi- natam, & infallibilem, vt motus cæli, ortus, & oc- casus signorum, coniunctiones planetarum & lumi- narium, eclipses, & similia, in quibus est determi- natio, et infallibilitas ex parte motoris, ac etiam om- nis impedimēti remotio ex parte qualibet, nisi in quā tū subiaceret diuinæ volūtatī, quæ tamē semper ordina- tē agit. Et de his vera, ac certa est astrologica scientia,

L ii

atque

atque ipsorum experta præcognitio. Quibus præcognitis, et eorum effectus facile innotescunt, ut sunt generalia mundi huiusce accidentia, bella, fames, pestilentia, pax, abundantia, regnorum sectarumq; mutationes, grandines, aërisq; maximæ perturbationes, elementorum commotiones, terra motus, & similia, quæ ex cælesti influxu, atque elementorum commotione, quæ vi siderum aguntur, quotidie, vel de ævo in ævum evenire concernimus. Quæ quoniam ab uniformi cæli motu invariabiliter æquè dependent, ni secus à prima causa secunde miraculose impediuntur (ut prædiximus) peritissimus in his astronomus non longe à veritate aberrabit. Verum quæ potest Deus potestate absoluta, nunquam, vel raro fient, quia sequeretur, quod Deus faciat aliquid, & minus ordinate agat. Quum tamen omnia quæ sunt à Deo, ordinata sint, secundum apostolum. Neque in his ponendum est miraculum absque necessitate, vel nisi in re magna, ut in morte Christi solaris defectio, & Iosue necessitatis tempore Solis nõ naturalis retrogradatio. Secundo aliqua sunt futura contingetia, quæ causam habent inde terminatam, & fallibilem, sicut sunt operationes hominum pure, merè, & simpliciter voluntaria, atque ideo non habent determinatam veritatẽ, neque determinatam falsitatem, ut philosophus inquit

quit. Nam voluntas hominis indeterminata est, & ad utrumque vertibilis, videlicet ad opposita, atque ideo fallibilis, quia etiam volenti aliquid perficere, multa occurrere possunt impedimenta. Et propterea quæ sit anima ipsa hominis nobilior cælo, nec possit illud, quod corporale est in animam agere, quæ spiritualis est: ideo non potest cælum voluntatem humanam immutare, neque in eam, nisi indirectè inclinando agere. Et ideo talia non possunt astronomica, vel quacunque alia humana scientia, sed quodammodo exili cōiectura præsciri. Tertio aliqua sunt quæ habent causam determinatam, sed aliququaliter fallibilem, ut ea quæ partim à voluntate hominis partim à cæli influxu dependent. Et hoc quia cum homo naturam habeat bipartitam, vnam. sc. cælestem & ætheream, videlicet animam intellectualem, alteram verò ex elementorum compagine propagatam, quod est corpus caducum, & mortale, ea propterea andè oportuit duobus agi principijs, cæli. sc. influxu, & voluntate, et sic effectus, & operationes eiusdem varis & mistæ inveniuntur. De his igitur cum magis eadem corpori, quàm animæ appropriantur, minusque volūtati subsunt hominis, ut bona fortuna, corporis et animæ habitudo, ac veluti sensus & intellectus, sanitas vel infirmitas, longus vel brevis vitæ terminus, & ut plu-

rimum biothanata mors, quæ vix humana voluntate, & sapientia regi, vel moderari possunt. De his dico astronomus verum, ac rectum proferit iudicium, non tamen ut de prioribus ita penitus infallibile, veruntamen sufficienti, ac probabili coniectura fundatum. Cum enim cælum ad hoc, vel ad illud humanum corpus alteret, atque disponat, bonam ue fortunam, vel malam homini inspiret: non poterit propria voluntate corpus proprium de insano sanum facere (de his loquor, quæ à natura sunt) nec poterit similiter bonam sibi fortunam in negotiis humanis, ac dignitatibus, & honoribus appropriare, & sic de memoria, intellectu, longa ipsius vita, & de cæteris. Nec inficiortamen hominem penitus humana sapientia, ac providentia posse stellarum opus adiuuare, vel incuria, & malo regimine abbreviare. Sed hoc raro & per accidens euenit. Quæ vero humanæ voluntati subijci, & ab eadem moderari vel corrigi possunt, licet sint corpori à cæli influxu naturaliter insitæ, et propagatæ, ut concupiscētia, & irascibilis, ex quo aliqui ad desideria voluptatū, aliqui ad iram, & vindictam, alij ad bonos mores, philosophiam, virtutes, et temperantiam, ad fraudes, aliqui bella, et rapinas magis proni existunt. De his potest naturale iudicium proferri, ad quod cælum naturaliter inclinat, atque disponit, & sic naturali, atque

que humana coniectura fundatum. Quum autē homo sit animal politicum, ipsumq; Deus intellectuāli spiritu insigniuerit, atque eūdem cālesti radio vultus sui, & rationis lumine illustrauerit, animamq; eidē liberam, ac voluntatem cum potestate arbitrij sui super humanas affectiones, ac syderum inclinationem donauerit, his mediantibus (præueniēte diuino lumine) humani corporis affectiones, & passionēs in diuinam, ac supernaturalem alteram naturam trāsferre, & commutare poterit. Vnde in his Astronomorum, ac ceterarum humanarum scientiarum iudiciū fallax, & inane. Quod de brutalibus hominibus, qui non ductu rationis, quin voluptatis affectu humanam naturam in irrationalem cōmutant, vt plurimum verax fiet. Quicquid igitur in libro hoc, vel quorumcunque astrologorum iudiciorum dictis circa futura contingentia dictum, vel scriptum inueneris, non aliter, quā hic modo prædiximus, dictum puta. Quoniam nostra hac est sententia elementaria corpora quæque, siue ex eisdem compacta à superioribus gubernari: cuncta tamen diuinæ potestati, atque hominum actus, qui ab hac moderari possunt humane subijci voluntati.

P R A E-

ASTROLOGIAE

PRAEFATIO IOACHIMI HEL-

leri in *I sagogen Astrologicam* I o.
Hispalensis.

Cum in omni genere doctrinae infinita subinde nascuntur calumniarum portenta, vir clarissime, quibus praua ingenia, impulsore diabolo, veritatem vel deformare, vel obruere conantur: tum verò hac ipsa ars, qua de motibus & effectibus caelestium corporum praecepta tradit, singulis aetatibus hoc praeter ceteris incommodo laborauit, ut perpetuò acerbissimis sycophantarum moribus esset obnoxia. Ac satis declararunt in hac insectanda causam odij sui homines partim Epicurei, partim impij, qui cum assidue in eo sint occupati, ut fidem prouidentiae ac gubernationis diuinæ animis humanis excutiant, cuius manifestissima testimonia in hac astrorum doctrina extant, nihil in ea inconcussum, illabefactumque relinquere voluerunt. Nam ipsa harmonia omnium corporum ac motuum in caelo, certissimum est argumentum, pulcherrimum illud opificium à mente quadam diuina & conditum esse & gubernari consensus euentuum multorum annorum, ex quo ars diuinandi ex diuerso astrorum positu extitit, illustre tempus quoque omnes illos motus stellarum atque

atque adeò singula sidera ad certas effectiões in natura à mente Dei sapientissima esse destinata. E contra quibus non contumelijs ac calumnijs à tam mirandi operis contemplatione animos hominum abstrahere semper conati sunt peruersi sophistæ, quid nō negocij fecerunt artis huius professoribus? ita vt assidue illis quasi in acie standum fuerit, ac dimicandū contra illorum maledicta, qui cū ne nunc quidem desinant laceffere: paucis hoc loco eorum errori ac liuori occurrendum existimaui.

Reprehenditur autem Astrologia ab aduersarijs potissimum duplici nomine, vel quòd artem hanc fingūt esse vanā prorsus ac falsam, vel quòd eam tāquam supersticiosam, et homine Christiano indignā arguunt ac damnant.

Ordine igitur ad hæc conuitia respondebo. Prior reprehensio artis, quorundam Philosophorum ac Medicorum est, qui negant artem hanc certis inniti causis, & effectus quos vniuersaliter ad astrorum influentias referūt artifices, ad materiam potius accommodare student. Ac Philosophi quidem potius hac in re Aristotelem: Medici vero Hippocratem, principes totius doctrinæ de rebus naturalibus audire debebant, quàm imperitorum hominum partim stultis, partim iniquis auscultare iudicijs.

M Nam

Nā Aristoteles libro primo de Meteoris eruditissimè ratiocinatur, quòd sit haud dubiè motus cælestiū corporū efficax in rebus inferioris natura, in hūc ferè modū differēs, Id à quo initiū est motus, procul dubio cæteris etiam rebus vim mouēdi impertit, Sed cæli motum primū in natura extitisse hominibus philosophis ambiguū nō est: Nō igitur in dubiū vocari debet eius motus in rebus inferioribus vis & efficacia. Simile quiddā in animantiū corporibus experimur, in quibus sicut exordium vitæ ac motus à corde manare constat: Ita certissimū est & viuendi et mouendi vim omnem à corde reliquis membris distribui, eoque confosso, non modo motum, sed & vitam in animantibus extinguī. Hanc Aristotelis sententiā Philosophis iudicandam proponimus: Medici suum audiant Hippocratem, qui in libro de aëre, aquis & locis, sic de Astronomia scriptum reliquit.

Εἰδὼς γὰρ τὸ ὀρεῖσθαι τὰς μεταβολὰς, καὶ τὸ ἄσφαρ ἐπιτολὰς τε καὶ δύσιν, καθότι ἐκαστον τῶν τῶν γίγνεται, προειδέναι ἂν τὸ ἐξ, ὁκοῖσθαι μίλλαι γίγνεται. οὐτως ἂν τις ἐρευνῶμεν, καὶ προγνώσκων τοὺς καιροὺς, μάλιστα ἂν εἰδέναι πᾶσι ἐκάστω, τὰ πλεῖστα τυγχάνει τὸ ὑγιᾶν, καὶ ὅθεν φέροιτο οὐκ ἐλάχισα ὡς τῇ τέχνῃ. Εἰ δὲ δοκέοις τις τὰῦτα μεταβολόλογα εἶναι, ἀ μετασάιν τὸ γινώμεν, μάθοι ἂν ὅτι, ἐκ ἐλάχισον μίεθ συμβάλλεται Ἀστρονομίῃ ἐς

ἱερε-

ἰσχυρῶς, ἀλλὰ πάντοτε πλεόντορ ἅμα ὁ τῶν ὥρων, καὶ αἱ κοιλίαι μεταβάλλουσιν τοῖσι ἀνθρώποισι. *Audis hic anni qualitatem ex astris praesciri posse, audis eam ipsam doctrinam, quae ex astrorum ortu & occasu futuram tepe states & anni accidentia colligit, plurimum conferre ad rem medicam, ad notandas temporum occasiones, ac in fine additum experimenti loco, ἅμα γὰρ τῶν ὥρων, καὶ αἱ κοιλίαι μεταβάλλουσιν τοῖσι ἀνθρώποισι. Et ut intelligatur ipsum nō de Solis, ac planetarum tantum viribus verba facere, sed integram Astronomiam doctrinam cōplecti voluisse, aliquantulum infra in eodē libello post mentionem solstitionum & aequinoctiorum subiicit: Δὲ δ' ὅτι ἄστρον τὰς ἐπιτολάς φυλάσσει, ὅ μάλιστα τὸ κινεῖται, ἔπειτα ἀρκτεῖρα, καὶ ἐπὶ πλειάδων δύσσει. τὰ τε γὰρ νοσημάτων μάλιστα αὐτὰν τῇσιν ἡμέρησιν κρίνεται, καὶ τὰ μὲν ἀποφθίνει, τὰ δὲ ἀλγύει, τὰ δὲ ἄλλα πάντα μαθίσσεται εἰς ἕτερον ἔδος ὅ ἐτέρω κατὰ σασιν. Quo igitur ore Philosophi aut qui Medici phiberi volunt, tantorum virorum autoritatem et iudicium vel eludet, vel reprehendent? Quorum alter vim mouendi in hac inferiora caelo defluere, alter ex ortu et occasu siderum non anni solū, sed morborum etiā qualitatem iudicari posse affirmat. Si q̄ vero sunt, qui horum autoritate se vinci nō patiuntur, cōcedant saltem veris rationibus et experientis testimonijs, ac si sunt rerum naturalium inspectores, an nō vident q̄ Aristoteles praeclare dixit libro*

M ἢ primo

primo de partibus animalium (ὅς αἰ ἀπασιν ὄντι φη
 σικὸν καὶ καλοῦ· τὸ γὰρ μὴ τύχοντι, ἀλλ' αἰεὶ τινος αἰ
 τοῖς τ' φύσει ἐργοῖς ἐστὶ) id in tota rerum natura ve-
 rissimum esse? Nam vel maxime sic se habent natu-
 ræ opera, vt non sint temere, sed ad certum finem con-
 dita. Ac sæpe celebratur dictū Hesiodi Poëta, ὅτι
 καὶ αἰμαλάχη καὶ ἀσφοδέλφη γ' ὄνειαρ. Iam si in infe-
 rioribus ac caducis rebus nihil tam exiguū abiectūq;
 inuenitur, quod non habeat peculiarem quandā vim:
 qua fronte quesō id de cælo ac stellis in eo hærentibus
 p̄negabimus? quæ reliqua mūdi corpora pulchritu-
 dine, puritate, perpetuitate, luce deniq;, qua nihil ha-
 bet hoc vniuersū efficacius aut mirabilius, lōgissime
 antecellūt. Deinde cū in tanta motuū cælestium va-
 rietate, certissimæ tamen leges, ac regulæ motuum re-
 periantur: absurdum est dicere pulcherrimam illam
 harmoniam ac vicissitudinem, sapientissime à diui-
 na mente cōstitutam in motibus corporum cælestium,
 certo vsu carere. Apparet in singulis animantium
 corporibus, ordinem ac συμμετρίαν omnium partium
 membrorum ac motuum ad certas actiones esse accō-
 modatum: eūne igitur in pulcherrimo illo mundi
 opificio frustra ac fortuito existere arbitrabimur? In-
 terim Remoram pisciculum nauem ventis velisq; ac
 remis impulsam sistere credemus, ac innumera alia
 natu-

naturę in rebus inferioribus, quę magis agitari casu videntur, miracula: de clarissimis cęli luminibus, quorum motus perpetua analogia diuinitus reguntur nihil simile vel cogitabimus vel sentiemus, imò potius ea, quę à viris sapientissimis de motibus & effectibus siderum multorum seculorum euentibus animaduersa sunt cõtemnemus, deridebimus, damnabimus, explodemus.

Verum qua ratione id faciemus? an quia non similia miracula à lumine cęlesti effecta, in hac inferiori natura oculis nostris contemplanda obijciuntur. Imò non mihi si linguae centum sint, araque centum eloqui mirificos astrorum effectus re ipsa comprobatos valeam. Eorum igitur aliquos recensebo, qui sensibus nostris maxime sunt obuij. Vergilius herbas cum exortu sideris sui exortas cum occasu eiusdem interire compertum est, quod sidus in tempestatibus quoque ciendis magnam vim habere & Poëtarum & rerũ rusticarum libri loquuntur, et experientia confirmat. Sic hoc ipso tempore quo hac scribebam aliquot diebus ac noctibus fere continuos hymbres, ac turbidam cęli faciem habuimus, propter Martis cum Pleiadibus congressum ratione longitudinis tantum, non sextili Veneris pridie Idus Augusti, non Idibus ipsis Iouis trigono ac quadrato Mercurij, alteri⁹ ex igneo,

M iij

alterius

alterius vero ex terreno signo ad Lunam in igneo signo positam quidquam ad siccam aëris temperiem facientibus. Cum enim coniunctio fortissima sit, radiationum destruit omnem aspectum, ut hic noster auctor loquitur. Iam si exiguis stellis experientia tãtam roboris ac virtutis famã conciliauit: nihil video causa, cur efficacia fidem omnem reliquis & maioribus multò et lōge illustrioribus astris detrahamus. Quorum vim ac potentiam non ea solum testantur, quae de Nili incrementis, de maris aestu, conchilibus ac cãtris, ipsarumque Zonarum in terris sub diuerso cæli ac siderum situ discrimine in frigiditate, caliditate, humiditate, siccitate, veterum sapientum libris memoria posteritatis commendata sunt. Sed multò manifestius se tempestatum ventorumque, frigoris ac caloris, humiditatisque ac siccitatis vicissitudines, quas propriissimè à cælestibus pendere causis, & supra recitata Hippocratis testimonia, & omnium Philosophorum (qui quidem sanam ac consentientem naturae doctrinam amplexi sunt) conuenientes probant sententiae; atque his astipulatur perpetuò consentanea causis cælestibus experientia.

Multis enim iam seculis omnium temporum euentibus exploratum habemus, magnas plane-
tatum

tarum coniunctiones in signis calidis, & siccis non mediocres astus ac siccitates efficere, easdem vero in signis frigidis, ac humidis, frigore horridas, ac humidas, mouere tempestates. Porro inde & in rebus ex terra nascentibus, illi germinum frugumq; prouentus pro cæli varietate dissimiles proueniunt, & (vt Hippocrates ait) anni qualitas exactè præsciri potest. Sunt igitur reperti inter aduersarios artis, qui autorum etiam non Astrologicorum scriptis conuicti, cōcederent esse quidem aliquos siderum effectus: sed huiusmodi quales solent esse causa vniuersalis, ita vt astra pro diuerso accessu versus verticem regionis, aut recessu in diuersam mundi partem, illas primas qualitates frigoris, caloris, humiditatis ac siccitatis in aëre variare crederent.

Huc enim eos adducebant Pleiadium, Hyadum, Capra, Hædorum, Aquile, Asellorum vtriusque canis, Orionis, Basilisci, Arcturi, Ariste, Fidicula, aliarumque constellationum, ac magnarum coniunctionum pleraque, ne vulgo quidem nautarum & agricolarum ignota, in tempestatibus ciendis miracula, quibus doctrina de tempestatum Prognosticis stabilitur, velint nolint aduersarij.

Verum interim reliquum doctrinæ genus in vniuersum reijciunt, ac auribus animisque protus auer-

*sus auersantur. At quæ inscitia et arrogantia est, ea
 quæ simplici coniectura consequi possis, quæque ipse
 obseruaueris tantum approbare? cæteris præstantissi-
 morum artificum sententijs et obseruationibus non
 introspectis, non examinatis vlla diligentia, sic omnè
 abrogare fidem, vt neq; causa diuinationum proba-
 biles, neque perpetuæ ac congruentes multorum an-
 norum experientia, ad asserendam earum verita-
 tem apud præoccupatos falsa artis infamia iudicium
 imperitissimorum animos quidquam loci aut momē-
 ti habeant. Qui quidem si sanis tantum ac satis præ-
 sentibus viderentur animis cogitarent saltem, quæ nam
 ex supra concessis bona sequela, à mediocriter prudē-
 tibus et exercitatis in rebus naturalibus, colligi pos-
 sint. Nam (vt obiter Genethlicarum diuinationum
 præcipua fundamenta percurramus) cū constet lu-
 men celeste parere primas qualitates, easque varie
 misce-re: ambiguum porro esse non potest, etiam in se-
 cundis qualitatibus maximas alterationes oriri ex
 diuersis primarum mixturis. Cū enim lumine cæ-
 lesti efficiente diuersas vices qualitatum in aëre, va-
 rie afficiantur etiā subiecta corpora, in dubiū vocari
 non poterit, quin ex diuersis illis affectionibus, dissi-
 milia quoq; temperamenta in corporibus inferioribus
 nascantur. Sic à primis qualitatibus secundarum, hoc
 est*

est, quatuor humorum naturalium ac temperamentorum in corporibus, origo derivatur. Nam ex calido & humido temperatis nascitur sanguinea, ex calido & sicco cholerica, ex frigido & humido phlegmatica. frigiditas vero cum siccitate melancholicam gignit constitutionem. Nec potest vlla verior monstrari causa illarum diuersitatum in temperamentis, cur videlicet aliud corpus ad sanguineam, aliud ad cholicam, aliud ad phlegmaticam, aliud verò ad melancholicam crasin propius accedat, quàm quòd sub diuerso siderum positu corpora edita sunt. Physicus ignarus aut contemptor huius doctrinae deprehendet quidem in natura corporum, humores naturales ita variè inter se confusos, vt alia ad aliam crasin magis declinent. Sed causas, quæ qualitates illas ita variè temperarint, repudiatis huius artis præceptis, quas mihi nisi vanas cõminiscetur? aut saltem vim quandam occultam in natura agentem esse fatebitur, qualis aut vnde sit non explicabit. Nos autem & rationibus his, & experientia instructi, scimus, quòd quæcunque primum sub hanc cæli lucem prodeunt, ea tenera & mollia cum sint, haud aliter siderum vim excipiunt, quàm plumbum aut cæra, quæ calore ignis liquefacta, ac postea primum in subiectam formam effusa, certam figuram induunt. Ac eruditè Hip-

N pocrates

pocrates in eo libro, quem supra citavi, refert causas diversitatis naturarum in diversis terrarum locis ad lumen caeleste, cum ait *Asiam plurimum differre ab Europa, secundum naturas omnium ex terra nascentium, hominum item ac reliquorum animantium, quae omnia longè maiora, pulchriora, temperatioraque Asiam producere, ait, propter temperatam totius anni mixturam, cuius hanc allegat causam, quòd ea regio in medio Solis (cuius vestigia etiam reliqui planetae sectantur) exortu ad auroram sita, à frigiditate & caliditate omni remotior sit quàm Europa. Et Galenus disertè inquit, affici animantium corpora à lumine planetarum, magnamque eorum omnium vim esse in temperamentis & miscendis, & turbandis. Unde tanta etiam est in progeneratis dissimilitudo, alios natura viuaciores & robustiores nasci comperimus, alios minus durabiles infirmioresque. Ut qui prope luminarium Synodos eduntur in lucem, Saturno aut Marte infelicitè Lunam respiciente, ij natura imbecilliores euadunt, ac plerique intra nutritionis annos extinguuntur, quod & ego domestico malo filij primùm, deinde filiae obitu, & alij infinitis exemplis experti sunt. Sunt autem eius rei Physicae causa. Cui enim humidum radicale (ut vocant) quod vitae alimentum est, in eiusmodi corporibus minus forte sit propter*

propter eius tenuitatem effectam, à combustione Luna, in qua omnes humores sensibilibiter minuuntur, facile absumitur nimia siccitate, qua eorum corpora peruruntur. Hac igitur cum & experientia certa & rationibus consent, extenuari aut damnari non debent. Quæ dixi hætenus planissimè confirmant, ea quæ de temperamentis ac vita hominum tradunt Astrologi. Caterum in confesso est omnibus, quod Galenus docet, animi adfectus imitari corporum temperamenta, & Hippocrates eodem loco quo supra, Asiaticorum quoque ingeniorum benignitatem inde proficisci ait, quòd eorum regio ad medium Solis exortum sita, remotior sit ab omni caliditate & frigiditate, ac nihil habeat præcellens aut cogens violenter, sed per omnia equalitas vigeat. Et paulò infra de iisdem dicit, quia non magnas permutationes experiantur, neque caloris neque frigoris, euenire vt neque mentes eorum stupore percellantur, neque corpora fortem transmutationem incurrant, vnde verisimile sit iram exasperari, cognitionemque & calorem amplius excitari, quàm si semper in eodem statu quis persistat. Mutationes enim (inquit) sunt, quæ hominis mentem subindè excitatiorem reddunt. Ad hanc luminis cælestis efficaciam allusit & Virgilius cum ait:

N ÿ

Non

*Non obtusa adeò gestamus pectora Pæni,
Nec tã auersus equos Tyria Sol iungit ab vr'be.*

Nam fingit mitiores Chartaginenses cum sint viciniore via solari. Sicut autem hac discrimina in gentium ingenijs, propter dissimilitudinem temperamentorum in singulis regionibus reperiuntur: Ita etiam in singulorũ hominum naturis inter se comparatis, elucet similis animorum varietas, ex eadem temperamentorum diuersitate manans. Quæ quidem inclinationum naturalium dissimilitudo etiam actiones, studia, morésq; fingit naturæ suæ conuenientes. Quapropter eleganter Ouidius:

Naturæ sequitur semina quisque suæ.

Ceterum vt apparet in tempestatibus excitandis magnas coniunctiones, & alias fortes stellarum inter se cõfigurationes insignes habere effectus, ita perspicuum quoque est in inclinationibus animi, actionibus, studijs, moribusque formandis, singulare quiddam efficere potentes stellarum positus ac congressus, propter excellentes transmutationes & excessus in ipso temperamẽto, quibus etiã mentes (vt dicit Hippocrates) percelluntur, & excitatiores fiunt. Atque hoc quidem in genere eã siderum constitutionem, sub qua egregium ac fœlicem bellatorem nasci contingit, Martem, Mercurium, Solem ac Iouem benigna & forti

forti permixtione, in idoneis cæli locis, ac in cholericis & Martialibus signis copulatos habere inuentū est, ut in Maximiliani imperatoris natiuitate Sol in exaltatione sua cum Mercurio Arietis signū tenebat, in septimo figura natalitiæ domicilio, Marte ex regio Solis signo trigona radiatione, ac forti & mutua receptione cum eis commixto, Ioue autem Horoscopi lineam ferè possidente. Fuit igitur prælijs ferè omnibus inuictus. Sic regem potentem et fælicem significat coniunctio aliquot erraticarum in signo aut trigono coniunctionis magnæ, ut hoc nostro seculo in Imperatoris genesi, cōiuncti Iupiter, Sol, Venus, Mercurius in piscibus (quod signum est magnæ coniunctionis hac ætate) illustrem habent potentia ac fælicitatis significationem. Sunt item peculiæres constellationes, quæ natis excellentia ingenij dona decernūt, videlicet coniunctiones aut fælices configurationes Mercurij, Lunæ, Martis, Iouis ac Solis in trigono signorum ærio. Qualis fuit in Regio montani viri clarissimi natiuitate, Mercurij, Lunæ, Martis, Solis in Geminis humano & ærio signo congressus, Ioue in eodem trigono ex Libra fæliciter synodum illorū intuente. Claritatem nominis decernebant Sol & Luna, cum reliquis erronibus, excepto Saturno, supra horizontem extantes.

N iij In

In genesi Dureri simile quiddam fuit. Huic nascenti, Saturnus, Sol, Venus, & Luna in Geminis cōiuncti affulsere, in vndecimo signo ab Horoscopo, cum sextili Martis radio in Ariete, quod proprium est Martis domicilium, Mercurio in medio cæli culmine Tauri signum possidente ea in parte, quã propter duarum anteriorum Vergiliarũ locus erat, permutatis inter ipsum ac Venerem domicilijs. Huic suffragabatur trigonica Iouis affulsio, Erantque Venus, Sol, & Luna cum insigni asterismo sex lucidorum siderum, quorum quatuor in Orione fulgent, duo in auriga, quæ pari numero sunt tertij ac secundi honoris (vt autoris nostri vocabulo vtar) & hanc constellationem nobilis iste pictor fere cum Regiomontano nostro communem habuit, ac fuit rerum Geometricarum, & Optices (vt ex eius monumētis apparet) non imperitus. Hic tamen in eo Mercurij signo Venerem habuit, quo ille Mercurium, & postea Mercurium in Tauro Veneris domicilio orientalem à Sole, quæ viri præstantem industriã magis ad reposita inclinabant. Quod ad splendorem nominis attinet pares habent vterque significationes: huic solus Iupiter, illi Saturnus in subterraneo cæli loco collocabatur. Sic Cicerone nascente Regulus in linea Horoscopi, post hunc Sol cum cauda Draconis, Mercu-

rio, *Venere & Marte*, in eodem signo regio existebant, duobus superioribus ex *Scorpione* (quod tunc signum magnæ coniunctionis erat) quadratos ad earum Synodum radios adiungentibus. Hi stellarum positus excellentem illum ac regium oratorem dederunt, quanuis cauda cum Sole nonnullam in parte humilitatem declarabat. Timidiorem illum faciebat *Veneris* cum *Marte* in tetragono superiorum Planetarum congressus: non tamen violentam mortem à trium superiorum hostilibus inter se radijs interminatam, effugere potuit. Ingenij ac eloquentiæ suauissima dona *Erasmo* præbuerunt *Venus & Mercurius* cum spica virginis in æërio signo coniuncti, *Io* ue ex *Geminis* in eodem signorum trigono eos feliciter illustrante: *Ecclesiasticas* dignitates, à *Ioue* significatas, *Mars* ex tetragono *Iouem* impugnans, interpellauit.

Hæc exempla ostendunt præclarissimarum virtutum & artium signa in cælo nobis ob oculos posita. Sunt autem è diuerso sua etiã indicia, quibus prauorum animorum impetus, & distortæ ingeniorum naturæ deprehenduntur, vt in *Neronis* genesi *Venus* in *Tauro* cum *Marte* coniuncta, ac *Iouis* obiecta diametrali radiationi, *Saturno* etiam confundente cum eis suos radios, *Sol* item cum cauda draconis
in

in quadrangulo Saturni, Luna in quadratura Mercurij, tam tristes & hostiles configurationes omnium erraticarum, veram referunt imaginem perversitatis ac immanitatis Neronianæ, qua nulla melior pingi aut fingi posset.

Infinita possent exempla recenseri. Sed ut rei infinite tādē modum aliquem finemque statuamus, ad reliqua pergemus. Hactenus confirmavimus rationibus & experientia, astra non ad tempestates solum mouendas, verumetiam ad temperamenta inclinationesque naturales, ad certas actiones, studia, virtutes ac vitia, plurimum adiuventi adferre, unde facile iudicari potest, dissimilium actionum, studiorum ac morum dissimiles etiam fore exitus, qui etsi in bonis etiam viris (ut supra in Cicerone) interdū tristes sunt: tamen reperiuntur in ipsorum quoque thematic genethliacis certa eius rei argumenta. De sceleratorum vero atrocibus supplicijs astrorum influxu significatis, possem innumera fere exempla commemorare. Sed ne in immensum nobis extendatur oratio, aliqua tantum recensebo, Neronis horribilem interitum portendebat Saturnus octavi loci dominus in solis quadrato, qui in linea Horoscopi constitutus, significator vite fuit, accedentibus etiam ad locū Saturni Martis ac Veneris, in duodecimo loco cadentium

tium aspectibus, Humana manu moriturum vterq; significator in humano signo ostendebat, propria vero quod ambo domicilia significatorum eidem domino propria erant, & hunc exitum Sulla illius filius, illi non minus vere quàm Caligulae prädixisse scribitur. Libens hoc loco praterco veterum Astralogorum Ascleterionis & Trasulli certitudine ipsa penè miraculosas vulgo prädictiones, ne in immensum nobis extendatur oratio. Huiusmodi autem exempla comprobant communem sententiam, fortunam plerumq; respondere moribus. Caterum plurimum in omnibus malis augendis exulcerandisq; potestatis habent Eclipses, traiectiones, & alia impressiones, quae cum toti natura terra horrendaëque sunt, tum etiam singulis hominibus, in quorum nascentium genituris cæli cardines, aut luminarium loca occuparint. Quod ipsum possem aliquot exemplis testatum facere, nisi me epistolæ leges cohiberent, in angustumq; cogerent. Puto autem me iudicibus non morosis supra recitatis argumentis, & experientia ac sapientum testimonijs de doctrina in mutatione aëris ac Genesum iudicijs satisfacturum.

Reliquum est tertium prädictionum genus, quo regnorum fatales casus ac mutationes ex magnis coniunctionibus, Eclipsibus, Cometis, alijsq; impressionibus

nibus predicuntur, quas naturaliter omnium hominum animi tum cum conspiciuntur, in tristia portenta vertere consueverunt. Quamquam autem sapientuli quidam ostentorum opinionem negat assingendam illis magnarum coniunctionum & Eclipsium Phenomenis, eò quod naturali causarum ordine statis temporibus fiant, adeò ut praesciri antè & praedici possint: prodigiosa enim ea tantum esse, quae praeter vsitatum naturae cursum extra certam & perpetuam seriem causarum, & effectuum naturalium sunt. Tamen nimis ieiuna est eorum sapientia, quae à communi & naturali consensu sanorum hominum, & ab experientia discedit, quae testantur hac esse in mūdo quasi conspicua Dei oracula, diuinitus in natura ordinata, ut his imminentes calamitates & mutationes humano generi significentur. Quare ex superiori argumento hoc potius illi (plus aequo acuti) colligere debebant, & coniunctiones ipsas ac Eclipses, & earum decreta, cum utraque in motibus ipsis & influentijs naturales habeant causas, & ad praestituta diuinitus tempora iusto ordine cōtingant, inter monstrosa aut prodigiosa non esse referenda, cum hic proprius sit & ordinatus illarum apparentiarum finis, non ut conspectus tantum gratia extent ob oculos, sed (quod omnium seculorum euentus docuere) ut sint

sint signa rerum futurarum. Porro de coniunctionibus magnis passim obuia sunt apud artifices vetustissima exempla magnarum mutationum, quæ secuta sunt. Ea, qui volunt, petant à suis autoribus. Nos hîc, quia in significationibus magnarum mutationû plerunque concurrunt & coniunctiones magnæ & Eclipses, quæ impressiones quoque illas ignitas in aëre fere solent parere, exempla insignium calamitatum cum causis cælestibus coniuncta recensebimus.

In expeditione illa Xerxis, qua nulla maior copiarum numero in historiarum lectione reperitur, visus est Sol obscuratus & neptoudis ardens, quorû uterque admonebat Xerxem de tristi exitu eius expeditionis.

Primo anno belli Peloponnesiaci, quod inter se Græcæ ciuitates gessere, Eclipsim Solis tantam fuisse proditum est, ut stellæ medio die, quasi nocturnis tenebris inuoluto mundo fulgerent. Arsit eodem anno horribilis Cometes, per dies quinque & septuaginta, a clavis ingenti magnitudine cælo delapsus creditur in Insulam Aegos potamos, quasi designante tum Deo fatalem locum, in quo post pestem primum inauditâ, post euersas præcipuas Græciæ vrbes, post tot exercitus caesos, post tã variam belli funestissimi fortunam per annos sex et viginti, tandẽ extrema clade

Q. ij

prostrata

prostrata sunt vires. Atheniensium. Ita demum ipse euentus docuit, nō sine maximo tum patria, tum vniuersae Græcia malo, ducem Atheniensem Periclem, astrorum monitus contempsisse.

Sub Claudio Imperatore conspecti tres Soles, Galba, Ottonis, & Vitelij bella ciuilia de Imperio significarunt, ac postea Neronis tempore Cometa sex integris mensibus fulgens, Romano Imperio insignes mutationes, ac Iudeorum atrocem interitum portendebat. Apparuerunt porro ipso tempore belli Iudaici, ante euerisionem Hierosolymarū multę tristes coniūctiones & Eclipses, ac toto anno supra templi culmē extitit $\nu\tau\epsilon\gamma\alpha\upsilon\mu\alpha$ instar gladij, quę $\epsilon\upsilon\phi\alpha\pi$ Græci appellant. Hac horrenda ostenta nuncia fuere excidiū Iudaici, quo vix vllum horribilius exempli atrocitate in omnium historiarum libris occurrit.

Sub id tempus quo Gordianus Imperator designatus est, tanta fuit Solis obscuratio, vt interdiu facibus accensis vtendum fuerit, quæ crudelem cadem tum aliorum Imperatorum, tum ipsius Gordiani proculdubio nunciauit. Postea obitū Constantinī præcessit Cometes ingens, aliquot mensibus conspicuus. Inde post mortem optimi principis, misera bellorum ac seditionum incendia eruperunt. Sic & Constantij obitum præcurrens occultatio Solis tanta vt sidera quoq;

quoq; interdum conspicerentur prodidit illam perturbationem imperij ac religionum sub Iuliano apostata.

Ante bellum inter Lotharium Imperatorem & fratres, multi luxere cometae. Inde accisa ingenti pugna Fräcorum vires, diuulsum florentissimum Galliae regnum à Germania.

Sub Ottone tertio Imperatore dirus cometa fuit in parte meridionali, secuta fames & pestis crudelissima.

Celebrantur quoque in historijs aliquot Eclipses Lunares funesta, qualis illa fuit quam ad Arbela cōspectam refert Plinius, nobilitatam victoria Alexandri Macedonis, qua reliquiae Monarchiae Persicae deletae sunt, ac translata ad Macedones imperij maiestas.

Aliam Linius commemorat ante infauſtā Perſei pugnam, quam non falso Macedones vt triste prodigium occasum regni, perniciemque gentis portendens, interpretabantur. Sicut igitur ad Arbela, auctum est victoria & maiestate Monarchiae regnum Macedoniae, Luna terrae umbram incurrente: ita vicissim congruente fato, sublatum est Regium e Macedonia nomen, Luna iisdem tenebris inuoluta.

Sed ab his vetustioribus exemplis ad recentiora

descendamus, quæ tanto plus fidei habent, quâto sunt notiora.

Annus à nato saluatore 1415. ad 8. Idus Iunij, hora 18. similem illi, quæ bellum Peloponnesiacum antecessit, Solis obscurationem, ac non valde dissimiles euentus habuit. Secuta est enim Synodus Constantiensis, seminarium belli Bohemici, in quo & contra Imperatorem Sigismundum Bohemi prosperè pugnarunt; & contra magnas Germanorum copias, ac tandem non tam propulsantibus quàm inferentibus similes, sicut antea Germanici exercitus in Bohemia: ita postea Bohemi longo tempore in Germania bellum gessere, ferro ac igni vastantes multas regiones. Eodem tẽpore in Italia statim post Solis deliquiũ pestis: in ducatu Mediolanensi, Florentini grassati sunt.

Anno 1444. quo fuit magna coniunctio in signo Cancrì, victus & occisus à Turcis in pralio est Vladislaus Hungariæ & Polonia Rex. Delphinus cũ Armeniacis copijs Alsaria grauiter vastata, ac caesis Heluetiorum quatuor milibus, tandem fuga suis salutem peperit.

Anno 1500. mense Aprili fulsit Cometes in Italia, à Gallis captus est Ludouicus Sphortia dux Mediolani, Vrbs Methone à Baia Zeto Turcarum Imperatore expugnata, deuicti ingenti nauali pralio à Turcis

Turcis Christiani . Interea exarsit plusquam civile bellum inter Baiazetum patrem & filium Selimū.

Anno 1504. Pridie Calendas Martias defecit Luna post medium noctis , hora 1. in vicesima parte Virginis vsque ad tredecim puncta Ecliptica in Cancro, quod signum magnæ coniunctionis erat , in qua Eclipsi conuenerāt Saturnus retrogradus, Mars & Iupiter in septimo loco , & in Piscibus eiusdem trigoni signo , in ascendentis tetragono Sol & Mercurius cum capite Draconis.

Eodem anno motum est bellum Bauaricum. Insequēs annus habuit magnā coniunctionē Mercurij, Saturni, Solis, Lunæ, Iouis, Veneris , ac capitis Draconis in Leone, ac Martē sextilē eā synodon intuentē ex Geminis penultima Iulij , à qua coniunctione digressa Luna quindecim ferè dierū intervallo, & obiecta pleno orbe Solis diametro in vmbra terreni globi incidit. Erāt adhuc cōiuncti in Leone Saturnus, Mercurius, Venus , Iupiter. Mercurius Lunæ obscuratæ dominus cōiunctus Saturno erat , illā nō respiciebat. Mars vero ascēdētis signi gubernator ex signo casus sui Horoscopon tetragono, Lunā vero ipsam ex trigono intuebatur. Hoc anno dux Geldriæ à Maximiliano Imperatore subactus est. Proximo deinde anno, mense Augusto post Eclipsim Solis in Leone cum
Luna

Luna, Saturno, Venere & cauda Draconis coniuncta, inflammatus est cometes, cuius halitus prioris anni Eclipses & magna coniunctio contraxisse putatur. Ceterum is annus insignis fuit morte Philippi regis Hispaniae, & initijs belli Veneti, quod postea ducturnum ac ambiguum fuit.

Anno 1519. Mors Caesaris Maximiliani fidem fecit precedenti Eclipsi Solis anno 1518, in qua de Solaris diametro undecim puncta internentu Lunae tangebantur, in eo Geminorum gradu, qui nascente illo summum caeli fastigium occupauerat.

Annus 1524. illustris fuit magna illa omnium erraticorum synodo in Piscibus, cuius vires auxere precedentium annorum Lunares defectus in eodem signo, & postea duorum sequentium plerique in Cancro eiusdem trigoni signo. Fuit ergo insignis annus 25. seditione & strage rusticorum, & captiuitate Francisci Regis Galliarum. Ante huius captiuitatem viderat Rex Polonia sex soles, inter hos eum qui ad occidentem stabat plane atrum, quod signum fuit oppressionis Francisci. Qui proxime hunc secutus est annus Lodouici Regis Hungariae interitu nobilitatus est.

Annus 1530. duas habuit Eclipses in Ariete, alteram Solis 8 punctorum, alteram Lunae 16. Luna
Eclipsis

Eclipsis & magnitudine excellibat, et conuentu erraticarum in trigono aërio. In signo enim Libræ conuenere ex aduerso deficientis Luna, Mars, Iuppiter, caput Draconis, Mercurius, & Sol, quibus ex Geminarum itidem aërio signo Saturnus trino aspectu miscebatur. Sequenti itaque triennio singuli anni singulorum Cometarum flammæ conspexere, Accesserunt & defectus luminarium. Anno 32. in Solis, Luna, Mercurij, Martis, ad caput Draconis in Virgine congressu tria pūcta cum semisse, ferè de diametro Solis occultata fuere.

Anno 33. Luna in Aquario obscurata, concurrunt in opposito signo Leonis, Mercurius & Sol cum Basilisco, & Venus cum cauda Draconis, Ioue in eodem trigono cum hac Synodo, Marte in eiusdem ac Luna tetragono constitutis. Hæ fortes configurationes commouerunt res claras quidem sed tristes, intestinum Heluetiorum tumultum, Regis Christierni in Dania captiuitatem, obitu etiam filij lugubrem.

Maximè aut præclarus fuit annus 32. summis Imperatoribus Orientis & Occidentis, summa vi bellum parantibus magis quàm gerentibus. Nā Turcæ parte copiarum in finibus Germaniæ amissa, ac nulla re pro tanta expeditione satis memorabili gesta, retro cessere.

P

Anno

Anno 1534. duas luminarium Eclipses mēse Ianuario conspeximus. Alteram in qua Sol vsque ad semissem suae diametri occultabatur, Luna, Sole, & Mercurio in Aquario coniunctis, ac Saturno ex Cancro aduerso obtuitu Iouem in Capricorno positū respiciente. Alterum Lunae fuit deliquium, obscuratę penē ad 14. puncta prope regium Leonis sidus.

Haec defectiones luminarium hos euentus sortiebantur. Exorta est Anabaptistarū apud Vestphalos seditio, occupataque ab ijs vrbs Monasteriensis, ac fœdissimis flagitijs prophanata omnia. Eius tamē furoris exacto anno pēnas dedere. Imperator Thunetū occupauit, Dania asperrimo bello impedita, Anglia atrociter tumultuante. In Italia Gallus primū ab Imperatore Mediolanum repetens, postea ducem Sabaudiensem ducatu exiit.

Eodem tempore Turci Dyrrachium admouere copias, vt ex eo loco Italiam inuaderent: sed consensu ac expeditione totius Italiae cū Cesare aduersus publicum hostem territi, retro abierunt.

Anno 1538. Cometa in Piscibus arsit, obiit dux Saxoniae Georgius, filijs ante amissis. Proximus inde annus alium habuit Cometam in Tauro, in quo signo etiam Solis Eclipsis ad 7. Idus Aprilis extitit, extincta est Caesaris vxor.

Anno

Anno 1540. Magna Solis obscuratio in Ariete apparuit cum Iouis tetragono & opposito Saturni ac Mercurij, inde fuit ingens aestatis ardor, grassati incendiarij, Gandavi oppressa seditio.

In Eclipsi Lunari sequentis anni Soli in Ariete Mars Luna in Libra deficienti Saturnus praesto fuit. Postea in Augusto tria puncta diametri Solaris detecta fuere coeuntibus in Virgine, Sole, Luna, Ioue, Venere, Mercurio & cauda Draconis. Sub hyemem anni, Caesar fœda tempestate ad Argieram Africa iactatus, in magno discrimine versatus est.

Anno 1542. Post infortunatum in Scorpione concursus visus est Luna in eodem signo umbram terrae subeuntis defectus. Inde suscepta maiore animo & conatu quam effectu in Turcas expeditio, quam sua lues in exercitu nostro coorta disturbavit. Quae proximis illis annis acciderunt post coniunctionem trium superiorum in Scorpione, ac tot horrendas luminarium passionum pleraque notiora sunt quam latiora. Sicut constat aliàs quoque exemplis omnibus perpetuò illustres fuisse Eclipsium ac magnarum coniunctionum effectus.

Nec dubium, est quin ea quoque Eclipsis Solis quae iam vires suas nonnihil exercet, non solum propter Scorpij signū in quo praecessit anno 44. magna

P ii

con-

coniunctio. Sed etiam propter conuentum quinq; erraticarum tempore Eclipses Mercurij, Martis, Veneris, Solis, Lunæ cum capite Draconis in Scorpione, & Ioue in eodem trigono in Piscibus, ad cuius signum magna coniunctionis hoc anno pertingit profectio, magni quiddam portendat. Præsertim cum in Autumno & magna parte hyemis concurrentes effectus maximi deliquij Lunaris, quod hoc anno in eodem signo contigit, non parum adiumenti adferant illius decretis. Hæc ex omnium exemplorum consensu verè colligi possunt, in quibus haud scio an vlla Eclipsis sine tristi effectu abierit.

Quare si qua experientia fides, si qua est naturaliter consentientium iudiciorum inter sanos ac sapientes homines autoritas, si qua denique signorum prodigiorumque in cælo sapientissime à summo opifice ordinatorum reuerentia, irrefragabile est artem hanc et graues & probabiles habere causas.

Sed si quis adeo ferreo & monstroso est animo, ut nullo modo ad fidem arti tribuendam adigi se patiatur, neque euentuum exemplis, neque peritorum congruentibus sententijs, quæ sunt quasi perpetua quædã ipsius nature vox, neque ordinatione diuina, qua experimur cum in tota natura omnia ad certum finem condita, tum vel maxime illa pulcherrima ac perpetua

tua corpora manifestos habere influxus à conditore summo constitutos, ad ciendas temporum ac Regnorum mutationes, & ad varietatem illam in temperamentis, inclinationibus, studijs, moribus, ac tota denique vita hominum efficiendam. Eiusmodi nos hominem ut contemptorem naturæ, ac derisorem diuinæ sapientissimi Creatoris providentiæ, lōgissimè à cœtu philosophico arcebimus.

Hæc Philosophis illis ac Medicis, magna vero (si dijs placet) de causa artem hanc vituperantibus, respōdere visum est.

Restant Theologi, qui religione quadam hominū animos ab usu huius doctrine deterrere conātur. Qui quidem si verè causam hanc animo perpenderent, potius ad summi illius Prophetæ ac Legislatoris vocem prudentissimam aures animosq; arrigere debebant, cum inquit, Et erunt lumina (de cælestibus loquitur) in signa, tempora, dies & annos. Quæ verba nō obscure indicant, luminibus cæli nō solum commissam diuinitus temporum, annorum, ac dierum distinctionem : sed eadem quoque conspectui mortalium in mundo ideo exposita, ut sint signa. Quod si voluit Deus (ut Prophetæ verba aperte testantur) ea signa mundo proposita ad varios euētus humano generi significandos (non enim signa esse possunt, quæ nobis

P iiij

nihil

nihil monstrant aut portendant) Quo iure quæso isti eorum inspectionem, investigationem, observationemque nobis prohibent? An non conueniebat eos Prophetam hunc maximum prius audire, quàm ita temerè damnare eius sententiam? Et contra Ieremiæ dictum male detortum vertere in cõtumeliam artis tam sanctæ, & (vt Mosæ verba ostendunt) simul cum orbe condito diuinitus fundatæ.

Ac Ieremiæ quidem verbum, si recte intelligatur, verum nobis disciplinæ huius vsum magis commendat.

A signis cæli (inquit) nolite metuere. Quid, an non consentiunt inter se prophetarum oracula? an nõ vterq; vno quasi ore signorum appellationem stellis tribuit? Verum hic iubet (inquis) ne eam etuamus: Lubemus & nos quoque. Cæterum hoc nõ extat in verbis Prophetæ, quod tu temere affingis. Cum enim signa esse fateatur, non vetat, sed vult ea affici, ac considerari quid nobis portendant, timore tatum seu terrore animis excusso, ne vel pro Dijs, astra, gentium more, timeamus ac colamus, vel minis eorum percussi desperemus, quorum vtrumque impium est.

Est igitur sententia huius prophete insignis doctrina ac cõsolatio pijs mentibus, quæ monet, etsi magnæ calamitates à signis cælestibus nobis denuncien-

tur

tur: tamen confirmati vera agnitione & inuocatione Dei, expectemus auxilium & liberationem, aut saltem gubernationem ac mitigationem euentuum illi permittamus. Hæc sententia non pugnat cum Astrologia: sed monet vt siderum indicijs de imminentibus malis ac periculis commonefacti, non succumbamus animis eorum magnitudini: verũ ad opificem ipsum plena fiducia accedamus, poscentes opem aut mitigationem. Aduersariorum opinio dum eleuat signorũ fidem, confirmat in animis securitatem ac contemptũ & significationum, & ipsius Dei proponentis eas, quam impietatem postea grauiores pœnæ persequuntur, ac plerique luunt atrociter, quæ securi contemnũt. At obijciũt homines morosi, Dum causas inclinationum, actionum & euentuum humanorum ad astra refers, eripis primũ Deo potestatem mouendi animos suo spiritu & gubernationem euentuum: postea humana voluntati libertatem in rebus eligendis aut fugiendis: denique diaboli fraudes et insidias omnes in pulcherrimas ac optimas Dei creaturas transfers.

Respondeo simpliciter, Astrologi cum disputant de inclinationibus ad certas actiones ac studia, de ijs tantũ iudicant, quæ temperamenti naturã comitari solẽt, quales sunt diuini motus aut sôcyai naturales, aut sælices impetus in rebus suscipiendis & agendis: Nõ loquuntur

quantur de illis motibus aut actionibus, quæ proprie sunt Deo impellente corda, aut quæ peculiariter ab humana voluntate ac deliberatione suscipiuntur, nec denique de sceleribus illis, quibus miseræ hominū mētes à diabolo interdum implicantur.

Gubernationem autem euentuum tantum abest ut Deo eripiamus, ut contra affirmemus eius gubernationem & ordinationem causam esse talium euentuum, quam & inuocantes illum certa fiducia ipsi deferimus, ut supra monui. Estq; hæc ars utilis ea in re ad pietatem, cum mala præuisa excitet pios ad inuocandum Deum, ut ea mitiget: bona vero significata ut bene fortunet. Hic verus est eius usus in bonis mentibus, ac Deum verè timentibus. Non potest igitur esse superstitiosa, si quis rectè ea utatur. Et verum est dictum Pauli etiam de hac arte, Omnem creaturam Dei bonam esse legitimè utenti. Caueant autè sibi impij & contemptores ostentorum cælestium. Nō enim impietate & securitate effugient astrorum minas, sed potius in atrociora mala precipitabuntur. Atque hinc plerunque fit, ut verissimi sint astrorum tristes effectus, vel quia naturæ cursus à Deo ordinatus non nisi rarissimè mutatur ad piorū preces (quale est illud cum Sol integro die à Deo sisteretur) vel quia irritato etiam numine contemptu impiorum exaspe-

exasperatur mala stellarum significata. Fatemur autem hoc in loco neque omnes actiones ac euentus ad causas cælestes pertinere, neq; in his decretis, quæ stellis subiacent, omnium causas perfectè ac prorsus exploratas haberi. Et quod Aratus de tempestatum signis scripsit, id nos de tota arte verissimum esse sentimus, γαῖτα ὅς τ' ἔπειτα

Ἐκ Διὸς ἄνθρωποι γινώσκουσιν, ἀλλ' ἔτι πολλὰ
κίκρυπται, τῷ αἴκε δέλει, καὶ ἐς αὐτίκα δώσει
Ζεὺς· ὁ δ' οὖν γοίῳ ἀνδρῶν ἀταφαιδὸν ὀφέλλει
πάντοθεν εἰδόμενον, πάντα δ' ὅγε σήματα φαίνεται.

Quod dum concedimus non de tota tamen artis veritate sycophantis concessum volumus. Ea enim est nostræ cognitionis imbecillitas, ut nullam artem, quæ humana industria excogitauit & tradidit, absolutâ possideamus. Interim plusquàm Scepticæ impudentiæ ac dementiæ est, nihil certitudinis Philosophiæ relinquere.

Multa sunt (quanquam non omnia) vera, certa ac bona à summis ingenijs in natura animaduersa, & literis veterum sapientum, ad posteritatem propagata. Ea nos tanquam oracula quædam religiose colamus, conseruemus, augeamus. Plusquam Adamantini est pectoris, non negligere solùm, sed contumelijs etiam ingratisimis persequi patefactam ve-

Q. ritatem

ritatem diuinitus excitatis ad eam inuestigandam
 viris Heroicis ac sapientibus.

Hac nō tibi compater charissime scribo, quē scio
 tum in reliquis omnibus, tum vero in hac parte Phi-
 losophiae esse exercitatisimū, ac praeclare sapere: Sed
 illis, qui absurda & sophistica doctrina infectatio-
 ne vel ingenij laudē, vel suae inscitiae quærunt patrociniū.
 Mouit autem me & iudicij tui grauitas, & pe-
 ritia huius artis (quam à matre accepisse diceris, &
 monumēta tua de hac scripta doctissime testantur) in
 te singularis, vt autorem hunc & cōiunctioni nostrae
 & memoriae eius familia dicarem, in qua semper
 disciplinam hanc cultam esse comperiebam. Vixit
 hic autor ante annos quadringentos, ac plerōq; A-
 rabicos Astrologos in latinum sermonem vertit, quo-
 rum non contemnenda farrago apud me adhuc deli-
 tescit. Oro autem vt ignoscas mea audacia, qui te vi-
 rum praestantissimum tantillo munere demereri sum
 conatus. Non enim aut pro nominis tui excellentia,
 aut pro mea voluntate declaranda, qua te longē ma-
 ioribus dignū iudico: Sed ex tenui penu magno Me-
 cœnati pro nostris facultatibus exiguum mittitur mu-
 nusculum. Quod vt pro tuo in me amore ac studio be-
 nigne accipias, peto, ac me quod facis mutuo diligas.
 Bene vale cum vxore ac liberis suauissimis tuis, vir
 doctissime, nostri seculi lumen.

ASSERTIO CONTRA CALUM-

niatores *Astrologiæ*, doctoris *Eberhardi**Schleusingeri*

*N*egotia humana, *Astris* indigent: quædam enim sunt, quorū principia sunt voluntaria habitis requisitis, & opere instāte voluntas penitus quiescit, naturalibus agentibus, creatoris præcepto, negotium complentibus, sicut seminare, plantare, comedere, bibere, sumere medicinam procreare, & omnibus germinātibus curas adhibere. Alia sunt negotia absolute voluntaria, sicut operationes virtuosæ & viciosæ & scientificæ, & quæcunque sunt cum deliberatione, quanuis eas præcesserit obiecti apprehensio, & sensus iudicium obiectum reddentes difficile, propter passionem in appetitu sensitivo. Alia negotia humana sunt voluntaria indigentia extrinsecus instrumentis, sicut edificare, inhabitare, vestire &c. Alia sunt, quæ ad suam alia indigēt voluntate, sicut contrahere matrimoniū, facere amicitiam et societate, impetrare, loqui principibus, & stare iudicio. Alia sunt negotia, quorum fines sunt fortuiti & casuales, sicut ludus, venatio, insecutio fugitivi, emptio, venditio, positio ad lucrum. Horum discussio habenti rationem debe-

Q. ii

tur

tur, quod eorum pro suo complemento magis astrorum
 influxibus indigeat, & cui dispositio mediorum per
 astra plus profit, & in quo sola astrorum inclinatio
 negociantem habilitat aut distrahit. Absurdum, in-
 honestum, & perniciosum esset, horam eligere, qua
 propria, aut alterius ligaretur voluntas. Sapiens utiq;
 dominabitur astris. Cicero causarum ordine attento,
 diuinam futurorum scientiam negauit, propter huma-
 nae voluntatis libertatem. Nos autem; dicit Augu-
 stinus, vtrunq; fideliter & veraciter confitemur. Nec
 enim agentia naturalia, sic per caelestia necessitatur,
 quemadmodum stolidi superficiales putant, qui A-
 strologos clamoribus suis, potētias naturales in opera-
 tiones alienas (sicut Empirici, quibus nulla resistit æ-
 gritudo) cogi posse pronuntiāt, veterū scripta sinistrè
 interpretantes. Et sic suis vanitatibus Astrologiam
 obumbrare non cessauerūt, donec ipsam ridiculosam,
 & penitus suspectam redderent, adeò quòd plerique
 sapientes, audito nomine Astrologiae, cōtinuo obstru-
 ctis auribus, mentem auertentes, personas Astrologo-
 rum nominis contagio, detestantur. Bene consideran-
 ti rerum & motuum proprietates, manifestum erit in
 radice, passi potiore consistere effectus formalitatē.
 Forma enim educitur de potentia materię, qualitati-
 bus agentibus directis per vniuersalia caelestia, quae
 non

non determinant formam, sed actionem ad formam secundum potentiam materiae. Altissimus enim cuncta in semetipsis sementem habentia creauit. Ex ouo perdicis, perdicem: & anatis, anatem. Nonne gallinam, gallina excubat? Sicut nec segetes, & legumina aliud quàm suum ferunt, qualicunque existenti constellatione in horum principijs. Cōstellationes tamen fertilitatem, fœcunditatem, putredinē, adustionem, magnitudinem, colorem, saporem, odorem &c. sicut et in alijs, non rei esse, sed accidentaliter mutant, promouent, aut impediunt. Progenitoribus plerunque nati assimilantur, eosq; in proprietatibus assequuntur virtute seminis & spirituum gignitiuorum à patre decisorū. Dicit ad hoc Ptolemæus: Rimare naturam originis, vitam quoque & actus & passiones, priusquam proponas iudicium de illo, intelligit nato. Astra non sunt ad hoc, vt eligatur boni hora disciplina, vt vetulam concipere procurer, sicut nec medicina vt mortuum resuscitet, aut mutilatum reintegret. Dicit Auicenna: Est ars quidem sanitatem custodiendi, non est ars quæ à morte, securos nos faciat. Non sola ergo sufficit astri cognitio, sed & subiectorum et passiuorum maxime natura. Plures itaq; errores Astrologie ascribuntur, quos & vera principia eius renunt. Superficialiter autem & presumptuose philosophantes

Q iij

phantes, in nominis & scientia suarum gloriam mē-
titi sunt, sibi miracula adscribentes, quae Astrologiae
nomine palliare & roborare conati sunt. Hos extir-
pare errores laboris esset difficilimi. Aliquos tamen
Deo largiente vitam, successiue reijciendos mācipauī
principijs naturalibus obseruatis, studiosis occasione
praestando in finem, vt per ipsos Astrorum praeclasa
scientia, medicina compar emundari, & methodicē
ordinari, in humanam vtilitatem, ac magnificentiae
& mirabilium operum Dei gloriam. In vnoquoque
negotio aptanda sunt singula, quae eidem necessaria
sunt pro fine laudabili attingendo. Cum autem nullū
praeter Deum ritē fundetur exordium, quia omnium
creaturarum esse & conseruari, in Dei voluntate est.
quanuis etiam ab aeterno nobis prouiderit, vult tamē
orari pro necessarijs, quia Propheta ostendens nobis
orandi tempus, dicit: Deus Deorum Dominus locu-
tus est, Quoniam meae sunt omnes ferae sylvarum, in-
menta in montibus & boues. Cognoui omnia volati-
lia caeli, & pulchritudo agri mecum est. Redde altis-
simo vota tua, & inuoca me in die tribulationis, &
eruem te, & honorificabis me. Oportet ergo primam
Dei inuocare auxilium, suaeque prouidentiae negotiū
ad dirigendum committere, ne demoniaca se com-
misceat suggestio, animum à tramite rectae fidei di-
uertens

uertens, vt illicito pacto secum inito, arbitretur, pauper negotij sui, admirandum posse consequi finē. Hoc enim pacto excluso, confidentiam & fiduciam habentibus, omnipotēs negotium prosperare facit. Maxima miracula sancti in confidentia fecerunt, ipsa enim oratione non est minor. Dicit enim Apostolus: Nolite amittere confidentiam. Et Galenus: Plures ille sanat, in quem plures confidunt. Non sunt autem negotia in naturæ disconuenientibus. Achas enim noluit petere signum à Deo, ne videretur tentare Dominum, sicut cupiuit Sathan de Iesu in deserto. Res ordine naturæ negotio congruentes mancipanda sunt. Non enim eligitur Eunuchus ad generandum, nec aliquis ex aratro vt texet. Quisnam amorem iniuriando acquirit? siue quis dispergēdo ditatur? Finis attingitur per media, & operationes fini conuenientes. Lex est, quod Deus operatur per media. Hæc ordinem habet in via ordinis causarum. Sollicitari ergo oportet, vt quodlibet continuetur, præcedat aut vel succedat cōuenienter. Vigilāti enim et nō dormienti, iura subueniūt. Minori etenim virtute rē sollicitudine perfici, q̄ maiori strepitu tepefcere, notū est. Omnia enim tēpus habet, quod altissimus syderibus distinxit. Solis enim lamē adiutorē nobis tribuit diurno tēpore, alimēta querēdi fame et siti necessitatē indicātibus.

Quieti

Quieti autem necessaria, Solem nocte abscondens, exercitium dimittere, & somno vim recolligi iubet. Sichoras cunctis animantibus præscribit, quas bruta assequuntur, quibus sensibus communicamus, maioribus tamen nos intellectu, ratione & voluntate dotati, quibus altiora sciscitari & inquirere obligamur ut Deum in suis mirabilibus glorificare nõ cessemus. Quàm enim immensam diuersitatem, maximè tamen regulatam secundum tempora, Deus creatis enlargitus est. Omnia enim elementa & elementata, Luna crescente aliter, & aliter ea decrescente, secundum etiam eius ascensum & descensum, diuersimode se habent. Hæc sensu manifesta sunt, & profundius scrutantibus aliorum astrorum non minus quàm luminarium diuersæ proprietates manifestæ erunt, quibus sua negotia dirigent, & habiliora ac magis fructifera facere possunt. Non eligitur tamen tempus ut ipsum necessitet negotium in suum finem, sed quia hoc tempore dispositiones, negotio conuenientes existunt. Quis enim in Ianuario vel Decembri eliget seminare? Cognitis enim dispositionibus, negotium dirigentibus, gaudet in eis negociator, & delectationem acquirit, tanquàm in adiutricibus. Coauget enim propriam operationem delectatio, est quoque signum perfectionis acquirendæ, quoniam perficit operationem delectatio,

delectatio, & conseruat operantem in opere. Colliguntur ergo ex his ea, quibus per operationem finis adipiscitur laudabilis, scilicet auxilium diuinum, confidentia, cōgrua materialia, proportionatus modus operandi, sollicitudo, tempus conueniens, & delectatio. Omnibus autē artificibus singula sunt nota, præter temporum speciales dispositiones, quibus operationes magnifice iuuantur. Ideo de electionibus temporum, diuersis negotijs conuenientium, regulas iuxta duodecim domorū cæli ordinē aptatas inuenies. Nā in captandis beneuolentijs & procurandis amicitijs & societatibus, rethorica regulas docet, & persuasiones, quibus hominum mentes molliuntur, quæ propter hominum diuersitates, regionum quoque varios mores, plus aliorum negotiorum regulis variantur, eas tamen non minus quā tempus electum attēdere oportet. Sic & in contentionibus, compulsionibus & iniurium persecutionibus, plebiscitorū cautelas obseruare non est inutile. Multum autem tunc confert inclinantibus vti, quia non semper veritati iustitia comes est. In emptionibus quoque & venditionibus desiderij, & hominum necessitas, quæ est mensura rerum vendibilium, laudes quoque vendenti, sicut scrutiniū defectus ementi simul conueniunt, si lucrum quoquam modo intendatur. In ludis ac rebus alijs fortunæ ex-

R positis

positis, participantium, contrariantium, adiutorum, locorum & instrumentorum conditiones & proprietates considerare expedit. Comparatiue enim fortuna diuersis eueniunt relatione ad exordia suarū natiuitatum, & annorum suorum reuolutiones, & significatorum directiones aucta vel diminuta, quæ lōge maioris, quàm præsentis sunt operis. Suspicio quoque plurimum, quæ occultari possent, prodit. Ipsa ideo & quacunque sibi occasionem præstare poterunt, in occultandis vitentur. Bellantes cuncta quæ scismatis ortum foueant postergatis, fraternali amore, scitoque fido fœdere fiducia animum confortent, hostium suorum timorem & intestinam discordiam, & quæ animi confidentiam minuunt, & fortitudinem, aptare de melioribus est. Timor enim victoria inimicus, sicut confidentia & animi fortitudo eius sunt auctores. Ad procreandam prolem sanam & proceram, non sufficit astrorum aptatio, sed & medicorum regula præcipientium coitum à desiderio sano, non super repletionem, nec vacuitate nimia & c. fieri debere, & à turpibus, difformibus, imaginationibus quæ alienis cauere. Animales enim imaginationes, plurimum imprimunt res naturales, quemadmodū accidit, ut puer ei assimiletur, cuius forma imaginata fuit, cū fuit conuentio, & ut sit eius color propinquus colori

lori eius quæ viderunt cū fuerat casus, & istæ quidem sunt res, quas homines credere abhorrent, qui difficilis dispositionis non nouerūt habitudines. Illi vero qui sapientiā diligunt, nō negāt eas. Dicit Auicenna: Sūt item res, quæ tempus medendi indicant, tremor cordis, assiduus incubus, & scotomia, corporis saltus & faciei sensus turbidi, et motionum debilitas, vehemens faciei rubor, & oculorum lachrymæ, lumen effugientium tristitia & timor, sine causa lassitudo, et casus appetitus. Et ad summum, Omnis res quæ de suo mutatur vsu, maxime autem aegritudo præsens, medelæ indigens indicat. Phlebotomandos etiam Auicenna restrinxit, dicens: Et nemo quidē est phlebotomandus, nisi vnus duorum. Vnus eorum est aegritudinibus præparatus, qui cū ipsius sanguis multiplicatus fuerit, cadet in eas. Et alter est cadens in eas, & illi quibus percussio accidit aut casus, & qui habet apostema, minuendus est, licet non indiguerit, & non fuerit ibi multitudo. Regulæ se habendi, tempore medicationes, secundum patientium & morborum, & accidentiū et temporū, et intētionū diuersitatē, præcepto medici omnino seruentur, nec aliquis propriæ cōsuetudinis auctoritati, qua faciliter vitæ abbreviationē, imò mortis periculū accelerare faceret, et proprius esset occisor. Dicit enim Auicenna: Vnicuique quidem corpori,

R ij imd

imò omni membro, imò vni corpori & vni membro,
 in vna hora & non in altera inest proprietas ab vna
 medicina pati, & non ab altera. O quot homines me-
 dicinis inconsulte applicatis periclitantur! Quare sci-
 entia astrorum præ omnibus alijs summe necessaria
 est physico, vt sciat electa, prohibita & inepta tempo-
 ra purgandi, phlebothomadi, ac medicandi. Deinde
 Hippocrates quarto Aphorismorum: Sub cane &
 ante canem, et post canem pharmacie sunt molesta.
 Et secundo prognosticorum: Est enim cæleste sydus, in
 quo oportet ipsum medicum præuidere. Idem super
 aspectus stellarum, scribit in epidemia sua: Cuiusmo-
 di medicus est, qui Astrologiam ignorat, nemo se ma-
 nibus illius intromittat vel committat, quia non est
 perfectus medicus. Galenus de Criticis diebus dicit,
 Quod regimen huius mundi et viuentium, est à stel-
 lis, & maxime à Sole et Luna. Quare etiam Hip-
 pocrates, Galenus ac ferè omnes Græci, præ alijs hæc
 viam tenebant, scilicet habendo Astrologiã in simul
 iunctam omni medicina. Dicit ibidem Galenus, se
 experientia comperisse, sicut multi scripsere, videli-
 cet, cum quis in agritudinem ceciderit, fueritque Lu-
 na in signo, in quo beniuola stella, tempore sue nati-
 uitatis est reperta, is ab agritudine tali sine dubio eua-
 det. Si aut in loco maliuola stella, non euadit. Quare
 Astrologia

Astrologia medico maxime confert, ideoque medico, qui conscientiam habet, hac diuina ac nobilissima scientia, summe est necessaria. Quare etiā idem Galen^o octauo de ingenio sanitatis, capite 20. dicit, Quod medici Astrologiam ignorantes peiores sint speculatoribus & homicidis, non cognoscentes necessaria requisita ad medicinam. Sed heu miserandum, nunc eo ventum est, ut è centum vix vnum aut alterum reperias medicū, qui diiudicare sciat, quo tempore quilibet medicina præparanda & adhibenda sit, cū tamen ex omnibus negotiis, tempora electa illis plus cōferant, quā omnibus alijs negotiis humanis. Nam eorum negotia corpus hominis respiciunt, negotia vero aliorum externa corporis. Hac præmissa sunt ne alicui sit cōfidentia in solius temporis electione. Ante ergo inceptionem negotij illius expertus consulatur, propria deficiente experientia. Aristoteles de hoc allegat Hesiodum dicentem, Iste quidem optimus, qui ipse omnia intelligit: Bonus autem rursus & ille, qui bene dicenti obediit. Qui autem neq; ipsemet intelligit, neq; alium audiens, in animo ponit, hic rursus inutilis erit.

ASTROLOGIAE

TRIAPRIORACAPITAPRIMI

lib. quadripartiti Ptolemai, Philip. Melan-
thone interprete.



Vo sunt, Syre, per qua predictiones Astrologica extruuntur praecipua & maxima.

Vnum quod primum ordine est & potestate, quo deprehendimus quolibet tempore motus Solis & Luna & aliorum syderum, eorumq; positus inter sese aut spectantes terram.

Alterum vero quo mutationes, quae efficiuntur in corporibus quae congruunt ad istos positus, consideramus per naturales qualitates syderum.

Atque harum doctrinarum prior habet propria artem, etiam si finis secunda partis non accedit, & proprio libro tibi explicata est, quantum fieri potuit prolatis demonstrationibus. Nunc vero de secunda parte non tam firma & perfecta dicemus, modo accommodata ad philosophiam. Atque ita ut neque conferat eius argumenta amans veritatis ad certitudinem alterius ignota doctrina, cum cogitabit imbecillitatem & difficultatem coniectandi de materia qualitatibus. Neque tamen desperet consideratione quantum possibilis est, cum multos euentus potiores ac maioris momenti in natura rerum manifeste appareat

pareat oriri à causa cœlesti.

Solet autem fieri, ut artes difficiliiores vulgi iudicijs vituperetur. Si quis autem doctrinam illam, quã dixi priorem esse ordine & potestate, calumniatur, planè cæcus existimandus est. Sed hæc altera facilius reprehendi potest. Aut enim, quia coniectura in aliquibus difficilis est, prorsus incerta dicitur: aut quia decreta vitari non possint, reprehenditur tanquã inutilis. Conabimur ergo breuiter ante particularium præceptorum recitationem differere quatenus & possibilis sit & utilis prædictio. Ac primum de possibili.

QVOD SIT ALIQUA PRÆDI-

ctionum Astronomicarum sciëntia, & quousque progredi possit.

Principio euidentissimum est et non indiget verbosa confirmatione, diffundi vim quandam à cælo in omnia quæ circa terram sunt & in naturam mutationibus obnoxiam, videlicet in prima elementa quæ sub Luna sunt, in ignem & aërem, quæ calî motibus agitantur, & reliqua inferiora continent & afficiunt terram & aquam, plantas & animantia.

De solis effectibus.

Nam & Sol vna cum cælo semper aliter afficit terrestria, nõ solũ iuxta quatuor vices anni, cũ quibus congruunt

congruunt generationes animantium, plantarum fecunditates, aquarum fluxus et corporum mutationes, verū etiam quotidiano circuitu calefaciens, humectans, desiccans & refrigerans certo ordine & modo conueniente cæteris stellis & nostro verticali puncto.

De Luna effectibus.

Lunam vero ut proximam terræ influere in terræna apparet, eo quod plurima animantia & inanimata sentiunt vim luminis & motus ipsius. Flumina accrescunt & decrescunt vnā cum ipsa. Imitantur eius ortum & occasum maris refluxus & affluxus: plantæ & animantia vel tota, vel partes aliquæ iurgent ea crescente, et arescunt ea decrescente.

3 Per stellas probat prædictiones.

Deinde stellæ tum fixæ tum errantes significāt in aëre vel æstus vel niues, vnde et cætera terræna afficiuntur. Ipsæ vero inter se congressæ miscent potestatem et varias efficiunt mutationes, in quibus etsi antecellit vis ☉ pro generali constitutione, tamen reliquæ aut adiungunt aut diminuunt aliquid. Ac ☾ quidem effectus manifestiores et crebriores sunt, ut in coniunctione, quadrantibus et plenilunijs apparet. Reliquæ vero stellæ longiora interualla habent et obscuriores effectiones, dum aliās apparent, aliās occultantur, aliās
ad

ad latitudinem aliquam discedunt.

Quæ si quis considerabit, comperiet non solum corpora postquam nata & absoluta sunt affici motu caelesti, sed etiam semina ipsa initio formam & incrementa pro qualitate celi accipere.

Quare Agricole & pastores præ cæteris diligentes, cum pecudes ad coitum admittunt, aut conferunt agros, ex tempestatibus coniecturas de euentibus faciunt.

Denique præcipui effectus & significationes illustriores Solis & Lunæ et stellarum adeo certæ sunt ut etiam ab ignavis physices sola observationeprehendantur, & in his quosdam effectus ortos à potentiore causa & simpliciore ordine naturæ etiam indotati, immo & bruta quædam animantia præsentiant stas vices anni, aut tempestatum discrimina. Has enim Sol præcipuè gubernat.

Sed effectus ortos à debilioribus causis norunt hi quos necessitas ad observationem adegit, ut nautæ animaduertunt particulares significationes pluviarum & ventorum, quæ certis interuallis redeunt, propter Lunæ aut stellarum fixarum configurationes ad Solem, qui tamen quia propter inscitiam nec tempora nec loca nota habent, nec planetarum circuitus, qui magnam vim habent, norunt, sæpe falluntur.

S

Quid

Quid autem obstabit eum qui omnium stellarum & Solis et Lunae motus, tempora & loca nouit, & ex perpetua veteri obseruatione earum naturas didicit, non quales in ipso caelo sint, sed quales habeant facultates & quos effectus, vt quod Sol calefacit, Luna humectat. Hunc inquā quid vetat physica consideratione & aptè ex collatione omnium cum qualitates temporum iuxta positus stellarum praedicere, quod futura sint calidiora, aut humidiora, tum de hominum temperamētis ex caeli qualitate indicare, veluti corpus alicuius esse tale, & mores animi tales & secuturos esse tales euentus, quia caeli qualitas temperamento conueniens & idonea sit ad bonum habitum, aut sit contraria & detrimenta adferat, ac tales effectus existere & vera arte prospici ac praedici posse ex his & similibus liquet.

Quod autem aliqui calumniantur artem tanquam impossibilem, etsi causae praetexuntur, tamen has inanes esse sic intelligi poterit. Primum cum indocti, vt in consideratione magna & multiplici saepe hallucinantur, accidit vt si qua vera praedicuntur casu magis quàm arte aliqua praedicta existimentur. Sed iniquum est arti adscribere errata, quae ab imbecillitate professorum oriuntur.

Præ-

Præterea multi, quæstus causâ, alias diuinationes venditant nomine & dignitate huius artis, ac vulgo imponunt, multa prædicentes quæ non significantur naturalibus causis.

Horum vanitate deprehensa sagaciores aliqui etiam cæteras prædictiones, quæ à naturalibus causis sumuntur, suspectas habent & damnant. Id autem iniustum est.

Nā nec philosophia ideo tollenda est è medio quòd nonnulli studium eius simulantes prauī sunt & impostores.

Cæterum manifestum est etiam rectè eruditos in disciplinis, qui magna cum diligentia & dexteritate in hac arte versantur sæpe falli, non propter eas causas, quas iam recensui, sed propter rei naturam & imbecillitatem humani ingenij, quòd magnitudinē artis non assequuntur.

Primum enim omnis doctrina de materia qualitate, ac præsertim ex multis diuersisq; rebus concreta, coniecturis potius quàm certa scientia constat.

S ij Deinde

Deinde accedit & hoc quod veteres Stellarum configurationes, à quibus exempla iudiciorum sumimus nunquam omnino congruunt ad positum syderum sequenti tempore. Nam magis aut minus post longa intervalla congruere possunt, prorsus autem conuenire nequaquam. Nunquam enim aut certè non ijs spatijs quæ homines comprehendere possunt, fieri poterit vt redeat idem positus syderum & eadem terre constitutio, nisi quis inani ostentatione iactare velit earum rerum præceptionem quæ comprehendere nunquam possunt. Dissimilitudo igitur exëplorum causa est, cur in prædictionibus aliquid sit errorum.

Conturbantur ergo iudicia de aëre hanc ipsam ob causam, quòd non redeunt similes motus, etiam si nunc de alijs causis variantibus aerem non dicam.

Quod vero ad Genethliaca attinet et iudicia de singulorum corporum temperamentis multa concurrunt alia, quæ qualitates in mixtis variant. Primum enim diuersitas seminis ad cuiusq; generis naturam præcipuam vim confert, adeoq; dominatur, vt in eodem aëre & horizonte tamen singula semina sui generis animantia gignant, humanum hominem, equinum equum &c.

Deinde regionum diuersitas non exigua discrimina in nascèribus efficit, etiam cum eadem sunt semina

mina vt hominum, & cū eadem cali constitutio est, tamen magna est in diuersis regionibus dissimilitudo quod ad corpora & ad animos attinet. Denique etiam cū illa quæ iam dixi paria sunt, tamen educationes & consuetudines discrimina faciunt in parte aliqua temperamenti aut morum aut casuum. Etsi igitur vis maxima est circumfusi cali, à quo & cetera quæ diximus suam vim sumpserunt, cū ipsa calo nihil conferant, tamen nisi quis ea cum celestibus causis coniunxerit, sæpe errabit si volet omnes significationes à cali motu sumere, etiam eas, quæ non prorsus à calo pendent.

Hæc cū ita se habeant, etsi interdū fallunt prædictiones, non tamen ars tota damnanda est, vt neq; gubernandi artem reijcimus, etiam si sæpe fiunt naufragia, sed decet nos, vt in tanta & diuina professione, grato animo amplecti tātum quantū assequi possumus, nec postulare de omnibus rebus certitudinem, tanquam ab arte penitus comprehensa hominum sagacitate. Sed ornare eam & reddere instructiorem ijs coniecturis quæ aliunde sumendæ sunt. Vtq; medicis non vertimus vitio, cū de morbo egrotantis et de eius natura quadam sciscitantur, ita & hic non reprehendendum est, si qua de regionibus, genere, moribus aut alijs accidentibus requirenda dicemus.

S iij

Quod

ASTROLOGIAE

QVOD SIT VTILIS DOGTRI- na de effectibus celesti- bus.

Supra breuiter exposui possibilem esse predictionem ex astrorum motibus ac natura sumptam, & quod ad accidentia aëris ac ad eas hominum dispositiones pertineat, quæ ab aëre oriuntur, quæ sunt primordia facultatum & actionum corporis & anima, & certis temporum momentis venientes affectus aut morbi & longæuitas & vitæ breuitas, & alia quedam externa adiumenta aut detrimenta præcipua naturali ordine nascentibus copulata, ut cū corpore res familiaris & conuictus, cum anima honores & dignitas & horum mutationes pro tempore.

Nunc de vtilitate, ut propositum fuit, dicemus. Sed prius constituendum est, quid vtile velimus intelligi, & ad quem finem referri. Si enim animi bona spectabimus, quid erit optabilius ad tranquillitatem, gaudium & oblectationem multarum rerum humanarum & diuinarum consideratione?

Si vero ad corporis vtilitatem respicis, hæc doctrina

na magis quàm vlla alia ostendit quid cuiusque constitutioni & temperamento proprium sit & conueniens. Quod vero non conducit ad opes augendas, aut ad consequendos honores commune crimen est huic parti cum tota philosophia, quæ quantum in ipsa est talium bonorum non est largitrix. Sed vt neque hanc propterea damnamus, ita nec nostram scientiam abijciemus, cum quidem alias maiores utilitates adferat.

Qui vero inutilem esse contendunt illi non alia graui causa moueri se dicunt nisi fatali necessitate. Videtur enim superuacuum ea providere, quibus occurrere diligentia, & quæ arte vitari non possunt. Sed id quoque inconsideratè dicitur. Primum enim in his quæ necessario accidunt ignorantia in re subita & improuisa consternationes vicinorum maiores, & immoderatas letitias efficit.

Præuisio vero assuefacit & moderatur animum, vt ad ventura se confirmet, perinde ac si iam præsentia essent. Ac præparat nos vt placidè & constanter ea accipiamus. Deinde nec existimadū est singula hominib⁹ à celesti causa accidere tãquā prorsus ab immutabili & diuino decreto & quasi lege lata
de

de singulis vt necessario eueniant, nec possit alia causa obistere.

Nam ipse quidem motus caelestis diuina quadã & aeterna lege immutabilis est, sed inferiora fato naturali & mutabili variantur, cum quidem primas causas mutationum accipiant, quæ accidunt eis subinde aliter per consequentiam. A hominibus multa accidunt propter generalem constitutionem, non ex propria naturæ particularis qualitate, vt quãdo propter magnas aeris conuersiones, quæ difficulter caeri possunt, totæ gentes intereunt, sicut fit in ardoribus aut pestilentia, aut diluuijs, cum semper inferior causa succumbat maiori & validiori. Alia vero eueniunt propter singulorũ naturale temperamētum ab exigua & imbecilli actione celi orta. Hoc discrimine animaduerso perspicuum est euentus seu communes seu particulares, qui à celo tantum oriuntur, cui nulla vis obistere potest, quodque vim maiorem habet, quolibet contra nitente necessario accidere.

Alij vero euentus, qui non à solo motu celi oriuntur, si accedant opposita remedia, facile mutantur. Si vero non adhibeantur remedia, euentus sequuntur primas causas, id quod fit inscitia hominum, non fatali necessitate. Idem accidit in omnibus quæ habent causas naturales & principia. Nam & lapides & plante

planta & animantia & vulnera & morbi & ag-
gritudines partim necessarias habet effectiones, par-
tim impediri oppositis remedijs possunt. Sic igitur
existimandum est, natura studiosos predicere euen-
tus, qui accidunt hominibus tali doctrina, non inani
aliqua opinione.

Quorum igitur euentuum multa & magna cau-
sa sunt, hi sunt ineuitabiles. Sed alij qui leniores ha-
bent causas facile vitari possunt. Sicut medici qui
morbos arte obseruat, discernere possunt letales ab ijs,
qui sunt curabiles.

De his igitur euentibus qui mutari possunt, sic au-
diemus Genethliacum, cum talis sit constitutio. Si fue-
rit conuersio temperamenti corporis secundum plus vel
minus iuxta hanc aeris qualitatem, morbus talis exi-
stet. Sic & medicus de vlceribus iudicans futurum
prædicet quo serpent quæ putrefactio.

Sic & de metallis dici potest: Magnes ferrum tra-
hit. Vtrunq; enim si suæ naturæ relinquitur & igno-
rentur impediencia, vim exercebit suæ naturæ pro-
priam & primam.

Sed vlcera nec serpent, nec putrefactionem faciet,
si contraria curatio accesserit: nec ferrum trahit Ma-
gnes, si Magneti alliū fuerit illitum. Sicut igitur hæc
impediencia fato aliquo naturali contrariam habet

T

vim

vim, sic et de inclinationibus à cælo ortis dicitur, cùm aut ignorantur futura, aut non impediuntur contrarijs rebus, primæ naturæ seriem sequuntur. Sed cum prævidentur & cauentur naturalibus remedijs, quæ vim habent contrariam quasi fatali ordine, Aut prorsus auertuntur, aut mitigantur euentus. Denique cùm eadem vis conspiciatur in 4. anni partibus & in particularibus corporum mutationibus, mirum est, cur omnes fateantur generales prædictiones possibili-
 les esse, eisq; fidem habeant, & diligentiam in cauendo adhibeant. Nam 4. anni, tempora & fixarum stellarum significationes et Luna positus plurimi et obseruant & magna diligentia remedia opponunt, & æstum leniunt rebus frigefacientibus, hyemem calefacientibus. Et in vniuersum dant operam, vt temperamentorum mediocritates efficiant. Obseruant et stellas fixas ante 4. anni tempora, & ante nauigationes. In coitu vero pecudum & serendis plantis Lunæ positus considerant, neque hanc diligentiam aut impossibilem aut inutilem esse censent. Curigitur in particularibus negant possibile prædictionem, aut utilem esse, cū ex reliquarum proprietatum mixtura maior aut minor æstus aut humiditas prædicatur. Cum aut manifestum sit generales æstus minus sentire eos, qui frigida opponunt, potest eodem modo in singularibus fieri, vt opponantur remedia aduersus ea quæ augent immoderatos

deratos ardores peculiariter in hoc temperamento.

Sed errores in singularibus eo sæpius accidunt, propterea quod difficulter prævideri possunt. Quod etiã in reliquis accidit, eisq; fidẽ detrahit. Deinde plerũq; contraria remedia negliguntur. Ac rarissima est natura adeo felix, quæ inde vsque ab exordio non fuerit impedita. Inde fit, ut existimentur omnia immutabiliter euenire, nec caueri posse. Sic igitur statuo, ut præuisio etsi interdum fallimur, tamen aliqua possibilis est & animaduersione dignum. Sic & doctrinam de cauendis malis etiamsi non omnia auerit, tamen cum aliqua depellat seu magna seu parua, studiose amplecti & magni lucri instar ducere conuenit. Hac cum Aegyptij intelligerent ita se habere, qui hanc artem maxime celebrarunt, prædictionibus Astronomicis semper medicã artem adiũxerunt. Neq; enim expiationes et auersiones et remedia aduersus futura aut præsetia mala cõmunia vel particularia tradidisset, si in hac opinione fuisset, auerti aut tolli ea nõ posse. Nunc vero remedia quæ naturæ ordine cõtrarias effectiones habet, secundo loco fati ponentes prædictionib⁹ ad vsũ hominũ adiũxerunt. Quorũ doctrinã vocat cõiũctionẽ Medicinæ et Mathematicæ, ut ex astrorũ cõtẽplatiõe tẽpamẽta et futuros euent⁹ et pprias eorũ causas idicarẽt. At ex medica arte auersiones futurorũ morborũ et remedia præsetiũ sumerẽt

T ij non

non fallentia quantum fieri potest ex illis quæ singulis congruunt, aut aduersantur. Hæc breuiter hætenus dicta sint. Deinceps vero præcepta trademus, vt in docendo fieri solet ordientes à celestium qualitate iuxta obseruationes veterum ad physicam rationem cōuenientes, ac primū de stellarum errantium & Solis & Lunæ potestate dicemus.

TRAPEZONTII LIBELLVS.

Cur Astrologorum iudicia vt plurimum
sint falsa.

Nunc aperiturus rationē, quare temporibus nostris Astrologorum iudicia falsa vt plurimum, atque inania reperiuntur, vt hanc quisque quam viam in inueniendis erraticarum stellarum locis fixisque collocandis, ac denique tota figura themateque ordinando sequi debeat facilius percipiat, de duobus diuersis vniuersi motibus, hoc est, de globis duorum diuersorum motuum, primū mihi breuiter differendum esse video. Duos Ptolemaeus, apparentium necessitatem secutus, motus ponit. Alterum ab ortu ad occasum, alterum ab occasu ad ortum. Multi tamen ante Hipparchum vnum esse solum, modò ab ortu ad occasum adserentes motum. Erraticas stellas, quoniam tardiùs mouentur, atque

que ideo à motu primo relinquuntur, videri quidem ad ortu ferri propter relictionem, quæ tarditate sua efficitur. Sed tamen ad occasum ipsas quoque proprio motu moueri putauerunt, quam positionem, eò dūtaxat, quòd latitudines seruari per eam non possunt. Et Ptolemæus in 8. primi Magnæ compositionis cap. eiecit: & nos in commentarijs latius exhibuimus: sensu enim etiã ipso falsa esse cernitur. Nam si Lunam præcedere ad aliquam fixam obseruabis, sequenti nocte aut propinquiorem ex eadem parte ipsi fixæ, quã antea videbis, aut transgressam iam & propinquiorem ortui cernes, quod fieri motu relictionis minimè potest. E contra enim si occasui præcedente nocte propinquior Luna fuerit, quàm fixa, multò magis propinquior futura esset eidem occasui nocte sequenti, si ad occasum proprio motu moueretur. Vnde miror, cur Leo Iudæus hanc opinionem secutus, multa euomere in Ptolemæum, & veritatem tam apertam, non erubuit. Duo igitur, vt diximus, diuersi motus in genere sunt, ab occasu ad ortum, & erraticarum stellarum apparenter & fixarum, sicut longo propter tarditatem motus tempore collectū est. Ab ortu ad occasum primi globi, qui velocissimus est, & primus omnium. Quare ferri quidem cuncta in occasum collecta cernuntur, non raptu autem, sicut vulgò dicitur. Nulla

T iij enim

enim violenta vis corporibus perpetuis atque incorruptilib. inferri natura potest, sed velui pars suum sequitur totū, perficiturq; sequendo, sicut qui manus retro p̄iciens, velociter ad anteriora fertur: ita motus partis nō retardat toti⁹ motum, sed iuuat et fouet p̄terea, quod natura cōtinetur, eiusdemq; substātia cum cōtinente est: id cōtinentis motum nō vi, sed natura sequitur. Globi autē erraticarū huiusmodi sunt. Natura ergō, nō raptu primum motū sequuntur. Nā si p̄ter naturā traherentur, nō essent p̄petui. Quod enim motu alieno p̄ter naturā distrahitur, id corruptibile esse necesse est. Hac cū ita se habeāt, fixas, Ptolemaeum et veritatem secuti nō quasi ligatas, hoc est immobiles motu p̄prio: sed in sphaera sua ad ortum ab occasu: sphaerā verō suā nullo pacto ad ortū, sed solummodo ab occasu moueri adfirmamus. Quam rem nō verbis magis, q̄ rebus sic se habere Ptolemaeus demonstrat: nō enim potest moueri globus, quin omnia quę in ipso sunt, moueātur. Sed æquinoctialia p̄cta, vbi circulus, qui per medium signorum cursu Solis describitur, ab æquinoctialibus secatur. Et solstitialia, vbi idē circulus tropicos tāgit, nullo modo ad ortum feruntur: sed motu totius solummodo ad occasum, nec globus ergō & sphaera, in qua ipsi circuli describuntur, ad ortum ferri vllō pacto potest. Quod autem p̄cta, quę diximus, nequaquā ad ortum feruntur, primum Ptolemaeus

lemius in primo libri tertij Cōpositionis cap. cū de magnitudine annui temporis trāctet, multis modis subostendit. Nam cū restitutionem Solis ad idem punctum omnes annum esse spatium consentiāt, nec erraticas, nec fixas, quoniam ipsa quoq; , quāuis tardissimè moueri cōprobantur: sed solstitialia, vel æquinoctialia puncta capiūda censeat, vt annum tempus sit ab eodem immobili puncto ad idem Solis restitutio, quod re quoq; ipsa ostendit. Ab æquinoctio enim vernali principium anni ipse instituit. Sed verba quoque ipsius audiamus. In præsentī autem cōsideratione (inquit) nihil aliud respiciendum, vt annum Solis temp⁹ inueniatur, putamus, q̄ ipsius Solis ad seipsum, id est, ad obliquum à seipso factum circulum restitutionem: definiendū enim tempus annum est, quo ab aliquo immobili huius circuli pūcto ad sequentia Sol motus, ad idē rediit. Ab aliquo, ait, immobili huius circuli pūcto. Pūcta verò ip̄ linea siue recta, siue circulari, nō possūt esse immobilia, nisi linea quoq; immobilis sit: nec turbetur q̄spiciā, q̄si sequatur, immobilia quoq; in eodē esse puncta circulo, quoniā non mobile, sed immobile punctū capiundū esse ostendit. id enim ad excludendos errores eorū dixit, qui aut erraticas, aut fixas stellas capiētes restitutionē Solis ad easdē cōsiderabant, quas moueri omnes ad ortum longa temporum reuolutione certissimum iam factum est. Ex ini-

tio

tio ergò tertij libri Compositionis, primùm, deinde ex
 2. & 3. septimi cap. propositum patet. Ibi enim mul-
 tis varijsque obseruationibus aperitur fixarum stella-
 rum motum per latitudinem quidem nullũ esse, per
 longitudinem verò vnius proximè gradus 12. annis
 centum, id non alia ratione ostendit, nec enim aliter
 demonstrari, aut percipi potest, quàm accessu & re-
 motione ipsarum à solstitialibus & æquinoctialibus
 punctis ad ea ipsa: vt si ceperimus aliquam fixam,
 sicuti 5. grad. procanem, quæ erat primo Antonini
 anno, in quo tabulæ Ptolemæo confecta sunt, in grad.
 Geminorũ 29. 30. nunc est in gradu Cancrì 13. pro-
 ximè. Anni enim à Ptolemæo in nos sunt, 1330. cir-
 citer inuenietur, quam tunc precedebat, modò sequi
 solstitium æstiuale, & quantò recedit magis ab eo,
 tantò magis accedere ad autumnale æquinoctium.
 Similis in fixis omnibus ratio inuenitur: quare per-
 spicuum est, non fixas, & quasi ligatas circumduci:
 sed sicut Planetas in orbibus suis, sic has in globo suo
 moueri ad ortum, cum tamẽ globus ipse ac sphaera sua
 nequaquam ad ortum moueatur, nam si moueretur
 puncta etiam æquinoctialia & solstitialia, quæ in
 ipsa capiuntur similiter certè moueretur. Non moue-
 tur autem, nec globus ergò, nec sphaera fixarũ ad or-
 tum vllò modo mouetur. At ipse Ptolemæus (diceret
 fortasse

fortasse aliquis) aperte dicit, sphaeram ipsarum ad ortum moueri: nam secundum septimi libri caput sic ab eo, & quidem se ipso interprete inscribitur. Quod non erraticarum etiam sphaera motu quodam ad successionem signorum progreditur, & tertium, quod in polis circuli, qui per medium signorum est, ad successionem sphaera erraticarum mouetur. Idem verò est ad ortum & ad successionem moueri. Sed hoc dicendi modo utitur, aut ut ostendat, omnes stellas non erraticas eundem situm inter se semper habere. Quare cum ipsae moueantur, ipsa sphaera moueri videtur, aut etiam reuerentia priscorum, ac praecipue Aristotelis, quem plurimi facit, qui stellas non erraticas quasi ligatas et fixas in globo suo esse asserit, non erat enim adhuc tempore Aristotelis fixarum motus perspectus: sed primus Hiparchus, sicut primo tertij cap. Ptolemaeus testatur, tenuiter, et quasi per coniecturam ex annui spatij magnitudine moueri ad successionem sphaeram fixarum, hoc est, fixas ipsas collegit, unde Ptolemaeus eodem dicendi utitur modo: nec tamen sphaeram ipsam, sed stellas in sphaera moueri ad ortum intelligit. quod statim incipiens cap. lib. 7. tertium, his verbis ostendit: Quod igitur non erraticarum stellarum sphaera, tamen proximè progressum ad successionem circuli per medium signorum facit, sic nobis perspicuum

factum

factum est. Quum autem quærendus nunc modus
 progressionis ipsarum sit, hoc est, utrum in polis æqui-
 noctialis an zodiaci fiat. & c. progressionis nō spha-
 ra (inquit) sed ipsarum stellarum modus quærendus,
 quid re ipsa, quasi digito monstratur. Ex modo enim
 progressionis ibi adinuento, non sphaera, sed stella in
 sphaera moueri ad ortum demonstratur, quas ob res
 ad ortum quidem, & Planetarum sphaera, & ipsi
 Planeta, & stella non erratica in sphaera sua ferun-
 tur. Ab ortu autem ad occasum solus globus & stel-
 la fixarum mouetur, quam contenta sub ea sphaeræ nō
 vi, sed natura, sicut partes totum sequuntur. Hinc per-
 spicuum est, nō esse opus nonam ponere sphaeram, nec
 Ptolemaeum id vnquā voluisse, sed falso id vulgò sibi
 attribui. Ratio certa, qua inducuntur nonam ponere
 sphaeram inanis est, & verbis ipsius Ptolemæi refu-
 tata. Contendunt enim ideò ponendū esse nonum or-
 bem, ut duodecim signa in eo immobiliter capiantur
 quæ à Ptolemæo etiam immobiliter capi videmus, nā
 si mobiliter caperet, non posset non erraticas quoque
 stellas per ipsa moueri, adfirmare, nisi alterum motū
 ab altero subtraheret, quod nemini vnquam in men-
 tem venit, quia fieri non potest: æquales enim motus
 duos, sphaera & syderum, ad eandem fieri partē nul-
 la ratione apparentiū constat. Sed nec inæquales hac
 inania

inania penitus esse, dictis ipsius comprobatur, ut diximus. Nam in septimo secundi libri cap. statim incipiens, ait: *Abutemur autem signorum nominibus in ipsis duodecim obliqui circuli partibus, & quasi eorum initia à tropicis æquinoctialibusq; punctis capiantur.* Sic duodecimā partem, quæ ab æquinoctio vernali ad totius sphaeræ sequentia est, *Arietem primam, secundam Taurū appellabimus.* Similiterq; deinceps secundū traditum nobis signorum 12. ordinem. 12 ergo signa, quæ in tabulis apponuntur, nō sunt noni alicuius orbis partes, nec sunt ipsæ formationes ac figuræ 12 syderum, quæ vniformiter mobiles sunt: sed stabiles immobilesq; duodecimæ obliqui circuli æqualiter diuisi, vnde *Arietis signum semper secundum tabulas ab immobili puncto vernalis æquinoctij capit initium.* *Tauri à puncto primo 31. gradibus ab eodem æquinoctio Geminorum à puncto vltimo, 60. vel primo 61. idem enim est ab eodem æquinoctio Cancrī ab ipso æstivalis solstitij puncto immobili.* & deinceps eodē modo, atq; immobiliter hæc omnia illi patebūt apertius, qui septimū magnæ Cōpositionis librū rectē intellexerit. Ligo enim ibi habetur fixas, quæ prope solstitialia et æquinoctialia puncta erāt ante Ptolemæū ad præcedentia, id est ad occasum, eas tēporibus ipsius ad sequentia dictorum fuisse punctorum, hoc est, ad ortum respectu ipso-

Vij

tum

rum: nos quoque videmus remotiores tunc ad praecedentia stellas propinquiores nunc esse, & propinquiores tunc ad sequentia, remotiores nunc à dictis punctis inueniri. Vnde patet, puncta quidem hac orbis octauui, & orbem ipsum minimè moueri ad ortum: stellas verò 8. orbis solas ferri ad ortū. Non est ergo ponenda nona sphaera, vt signa immobiliter in ea capiātur. Et multò minùs, vt totum per eam circunducatur: nā & duodecimæ obliqui circuli partes ab eisdem punctis immobiliter capiuntur: & ad eas nominibus syderum propter commoditatem nominatas, motus erraticarum & fixarum refertur. Et circumductio totius ad occasum, non nona sphaera, sed octaua circumductio est, sicut apparentia ostendunt. Quare cum nulla ratione apparentia cogāt, frustra nona ponitur sphaera. Duo igitur motus, genere diuersi, à Ptolemaeo ponuntur, vt diximus, ad ortum erraticarum stellarum, & orbium suorum, & non erraticarum in orbe suo, qui est sphaera octaua, hac sola proprio motu mirabili velocitate ad occasum conuoluitur, & ceterae ipsam sequuntur, sicut partes totum, & contenta continens. Duodecim verò signa immobilia, ad quae motus ad ortum omnes feruntur, 12. partes obliqui circuli sunt, nominib⁹ syderum nominatae, vt commodiùs, distinctiùs, ac certo nomine quaeque duodecima designetur

signetur. Hinc errorem non paruum vulgò apud Astrologos in iudicando committi, & antea semper ipse putari, & posteaquam magnæ Cõpositionis Ptole. libros euolui, certior factus sum: iudicia enim partim erraticarum natura & aspectibus, partim potestate domorum ac totius positione, partim natura & efficientia, 12. syderum maxime percipiuntur. Hæc vltima pars iam tota cõfusa, imò penitus sublata mihi videtur. Nam si (verbi gratia) in tempore dato figura constituitur, erraticæq; stellæ nonnullæ coniungi in 2. secundum tabulas gradu & inueniantur, video ex natura syderis, quod & appellamus, iudicium ab omnibus fieri, quod longe abest à veritate. Secundum enim & gradu in tabulis illū dicimus, qui est secundus ab æquinoctio vernali. similiter 10 & appellatur in tabulis, qui est 40 ab eodem æquinoctio ad successionem, & 50. à solstitio æstivali ad præcedentiæ, & sic de cæteris. Qui gradus omnes stabiles, ac omnino immobiles sunt, sicut & æquinoctialia atque solstitialia puncta, vnde initium sumunt, et à quibus semper æqualiter distāt. Sydera verò, quæ in iudicijs accipiuntur, id est, signa 12 in centum annis secundum Ptolemaum gradu mouentur vno ad ortum. Non est ergo possibile, vt initia signorum huiusmodi, hoc est, syderum atque constellationum in eisdem semper pñ-

V in

ctis in-

Etus inueniatur. Quare, & si eisdem nominibus uti-
 mur: tamē in tabulis quidem 30 graduum immobile
 spatium signum est, in iudicando autem signum est
 constellatio & figura syderis mobilis. Nam in iudi-
 cīs stella quoq; fixa, et maximē quę in zodiaco sunt
 quę à vertice capitis ferē orbē terrarū irradiant, capi-
 untur, eas omnes seorsum considerare impossibile est.
 Fulgētes ergo & primę ac secundę magnitudinis per
 se capiuntur, etiam si extra zodiacum sint, nec tamen
 nimium distantes. Efficientia enim ipsarū pro latitu-
 dinis magnitudine imminuitur. Ceterarum, quę in
 zodiaco sunt natura, quia non parū, ut diximus, pro-
 pter rectos penē radios in his inferioribus efficiunt, si-
 mul tota cuiusque syderis, quid, qualeq; soleat effice-
 re, cōsideratur. Quando igitur frigus ne an calorem,
 siccitatem an humorem Aries aut Taurus, cetera-
 que signa indicant, Astrologus querit, non debemus,
 ut ego arbitror, & recte, ut puto, stabile, 30. graduum
 spatium ab equinoctio vernali pro Ariete, & reli-
 quum vsque ad 60. ab eodem equinoctio immobile
 spatium pro Tauro capere: sed constellationem ac fi-
 guram Arietis, & similiter Tauri, atq; syderum re-
 liquorum. Hęc cum mobilia sint, ab alio atque alio
 principio in diuersis temporibus necessariō capiuntur.
 Quos orbes quoniā nomina signorū dupliciter dicun-
 tur

tur, pro duodecimis obliqui circuli stabiliter atq; immobiliter in tabulis, & pro ipsis syderibus ac constellationibus, quę mobiles sunt, in iudicādo oportere putamus. primum principia syderum 12. mobilia in aliquo tēpore dato apprimē tenere: deinde gradū vnū in 100. annis, vel plus quā vnū, pro vt sydera moueri perspicuum nobis ex lōgitudine temporis factum est, subtrahere, donec ad tempus, in quo iudicium exercemus, deueniatur. Initia verò syderum, aut per cognitionem ipsarum figurarum capiemus, aut ex auctoritate alicuius tenebimus, primum quisq; prout tēpora ferūt, exquirat de altero. Apud Ptolemęum quidem nihil, quod ego teneam, habetur. Rem tunc omnibus tritā, notāq; prudēter prętermisit. Vitruuius autem de architectura scribēs, in postremis libris nōnulla de syderibus retulit, & inter alia, equinoctium ait, vernum temporibus suis, in 8. & gradu fuisse, Arietem pro sydere atque constellatione accipiens: is, vt puto, non nimium remotus à tēporibus Ptolemęi fuit. Quare quoniam 1330. anni circiter intersunt ad hęc tempora, id est, ad annos domini nostri Iesu Christi, 1456. gradibus inde 14. subtractis, fiet nunc equinoctiū vernale, cū Sol sit in 24. gradu cōstellationis Piscii. Is enim gradus in tāto spatio temporis illò proximē peruenit, vbi tunc erat 6. & ita 6, gradus secundū Ptole-

Ptolemaum, interiacent inter æquinoctialia & solstitialia puncta, & initia signorum, quibus denominantur. hos sex gradus in ceteris omnibus subtrahamus: vt si Planeta sit in 3.8 gradu, secundum tabulas 50. longè ab æquinoctio vernali gradibus 33. ponatur in 27. arietinae constellationis. Hic enim gradus tunc quidem, 19. gradibus, nunc verò 33. succedit ad æquinoctium vernale, secundum syderum motum facto progressu. Quare his suppositis, erit nunc vernum æquinoctium, Sole in, 24. vt diximus, gradu cōstellationis & collocato. Autumnale in, 24. m. p. Aestiua-
le solstitium in, 24. II. Hyemale in, 24. +; si syderum gradus ad ipsa puncta, quæ diximus, iam peruenierunt. Quòd si quis fortè putaret, nō esse hac subtractione opus, præuidisse enim iam Tabularios hoc, emendasseque, quoniam non erraticarum motum erraticarum motui adiungunt: is sciat calculum quidem illum propter motum maximarum longitudinum ita fieri, vnde & ante equationem adhibetur: quod verò nos dicimus, veris Planetarum motibus subtrahendum est. Et illud in Planetis solum, hoc etiam in dispositione figurae ac ordine thematum non negligendum. Hæc vna et maxima est causa, vt ego arbitror, cur in nostris temporibus adeò aberrant. Astrologi, vt ne temporum quidem qualitates, quæ res tota à superioribus

rioribus depēdet corporibus, rectè prædicere queant. Quare, diligenter quis gradus, cui correfpondeat, cōsiderari oportet tam in collocandis in loco suo Planetis, quàm in ordinanda figura. Nam si secundum tabulas, 5. Cancrigradus, id est, quintus à solstitio æstiuali (verbi causa) inuenitur ascēdere: 6. hinc subtrahētis, ascendit, 29. II gradus, qui similiter est quintus à, 24. constellationis Geminorum, vbi nunc æstiuale solstitium secundum præsupposita fieri cognoscitur. ita 6. gradus subtrahentes, per totam vitam propter tarditatem motus proximi veritati erimus, quamuis ipse non dubito, nonnihil priscos etiam propter inæqualitates syderum addidisse, subtraxisse ne. Cōstat enim 12. signorum constellationes non esse ad vnguè æqualis longitudinis: sed alias 30. gradibus paulò maiores, alias paulò minores. Id si quis dignum cura putabit, tum obseruationum apparentium, tum auctoritate eorū, qui hac de re scripserunt, diligēter scrutetur. Hac igitur vna ē maxima peruersè iudicādi causa est. Altera verò, nec ipsa contemnenda, ex neglecta stellarum Planetarumque latitudine consurgit: nam latitudo hæc, sicut quando in meridiano, vel propè Planeta reperiuntur, nullam facit varietatem: quod Ptolemæus innuere videtur: sic quum iuxta finalem circulum, id est, Græcè orizontem reperiuntur,

X

tantam

tantam differentiam conflat, ut ab horoscopo, id est,
 à prima domo, ad duodecimam, & è contrà in septi-
 mam, & contra propter latitudinem possint trāsferri
 Planetę. Borealiores enim stella citiùs nobis oriuntur
 & tardiùs occidunt. Australiores contrà tardiùs o-
 riuntur, & citiùs occidunt. Ita propter latitudinē fit,
 ut Planeta, quamvis Soli coniungatur: tamen si sit
 borealior, ante Solem oriatur, & post Solem occidat:
 si australior, è contrà postea oriatur, & antea occidat.
 Hec differentia maxima, ut diximus, fit in hori-
 zonte, nulla in meridiano. In intermedijs verò locis
 maior minorue, prout ab horizonte stella recedit,
 & ad meridianum accedit: aut contrà recedit à me-
 ridiano, & ad horizontem accedit. Id tamen incre-
 mentum decrementumque differentie huius non fit
 proportionaliter. Nam si æquales arcus, ut puta 20.
 graduum, alterum ab horizonte, alterum à meridia-
 no accipies: multò maius erit incrementum decremē-
 tumque arcus, quo stella ad horizōtem accedit, aut re-
 cedit, quàm quo ad meridianum. Quòd autem au-
 straliores stelle posteriùs oriuntur, & prius occidunt,
 borealiores contrà: tum Ptolem. in calce totius Com-
 positionis demonstrat, tum sensus ipse, ut latius nobis
 super eum locum dictum est, apertissime ostendit. Ve-
 nus quidem ibi demonstratur, quando paulò magis,
 quàm sex gradibus Sole borealior est, 24. solummo-
 do

do vnius gradus sexagesimis, à Solis secundum longitudinem, remoto ortu matutino, apparere. Ita fit vt propter latitudinem borealem sex graduum, 40. penè vnius horæ sexagesimis, vt ex apparitionum tabulis facile intelligitur, ante Solem oriatur: quamuis in eodem cum ipso secundum longitudinem gradu sit. Quas ob res, Sole oriente, non erit ipsa in gradu ascēdente tunc collocanda: sed in domo duodecima, quæ res quantam efficientis causæ faciat differentiam, quis non viderit? Sensu ipso videmus, quid Luna terras irradians, faciat, quæ non irradians, quando sub terra est, facere non potest. Hæc si opposita Soli est, siquidem borealissima est, duobus fere tertijs horæ vnius (quinque nanque graduum maxima eius latitudo est) ante occasum Solis orietur. & similiter post Solis ortum occidet. Sin verò australissima, è contrà, vt diximus. Quis ergò adeò erit imprudens, simul atque impudens, vt audeat dicere, idem semper cæteris, vt dicitur paribus Lunam efficere, siue super terram, siue sub terra sit? Nihil enim aliud hoc est, quàm nullam differentiam facere, vtrum in prima domo, an in duodecima Luna sit? Nisi fortè aliquis cōtēdat, quāuis in duodecima nobis borealissima sit, australibus tamē habitationb⁹, & sub equinoctiali in prima esse. Quòd si quis putabit in iudicijs sequendū

X ij non

non erunt per singula climata computationes erraticarum stellarum faciendæ: sed vna sola, & simplex sub æquinoctiali facta computatio, in omnibus declinationibus iudicandi rectè potestatem dabit: quod penitus absurdum est. Adde, quòd si hæc differètia latitudinis in Planetis collocandis repudiatur, non erit ratio, cur ex differentia latitudinis atque declinationis locorum varietas ascensionum graduum fiat. Stultum enim omnino erit, ascendentem putare gradum præ diuersitate latitudinis mutari, & orientes stellas credere non mutari. Sed ambiget forsan aliquis, si coniunctio duarum stellarum in gradu ascendente (verbi gratia) secundum longitudinem inuenitur, & diuersitas latitudinis faciat, vt altera in duodecima, altera in ascendente placitè collocanda esse videatur, quid Astrologus debet in iudicando sequi? non dubito, quin coniunctionis gradum, quantum ad effectus, qui vim coniunctionis sequuntur. Latitudo enim maximè diuersa minuit coniunctionis effectus, non variat. Quod autem nos dicimus, varietate latitudinis variari, non vim coniunctionis, sed domorum consequitur. Quare, si ex varietate locorum figura aliquid aut minuitur, aut augetur, aut mutatur, totum id effectibus coniunctionis prudenter accommodandum esse putamus: ita vt nec potentioris dignitas negligatur

gligatur, nec commoda miscendi ratio quasi vana
prætereatur.

DIALOGVS IOVIANI PON- TANI.

Franciscus Pudericus, Pardus.



*Vid. ni mihi cum Astrologis bellum sit
Parde? cùm Iouianum hunc videam, qui
tam multa scripsit de syderibus, sapenu-
mero illis irasci, nec omnino satis bene de
illorum dictis sentire atque enunciatis? cùm tamen
disciplina sit eius ipse mirifice studiosus. Quan-
quam, vt mihi semper visus est, non vt Ioannes
Picus in disciplinam ipsam armis equisque, quod
dicitur, irrumpt: cùm illam tueatur, vt cognitu
maximè dignam, ac penè diuinam: sed Astrologos
quosdam, vt parùm cautos, minimeque prudētes in-
sectatur ac ridet. Pard. Non temere hoc quidem Pu-
derice. Quid enim magis siue absurdum, siue teme-
rarium, quàm quod coniecturis præcipue constet, id
necessarium esse velle? Quum enim cæli syderumque
agitationes inferiora hac (quod liquido apparet) ci-
tatu moderentur suo: nequaquam tamen quæ ab illis*

X iij innuun-

innuuntur, iisdem numeris, eadem quoq; , qua portenduntur via, ubiq; eueniunt , quod res ipsę inferiores, superioribus illis causis, aut non omni è parte adsentiantur, aut repugnent. Puder. Sunt igitur causa illa agentes ac prima: hæ verò patientes ac secunda. Par. Nimirum sunt: nam nec calor ipse Solis ubique est æqualis, nec terrarũ situs idẽ, ac par omnium. Quodque ad cõmunium res spectat, voluntates ipsa nostra dum imperare velimus sensibus, libere quidem sunt, syderalibusque agitationibus aliquantò validiores. Quod quonam modo fiat, id si aperuerim, non in dignum conuentu isto videatur. Quatuor hæc corpora, quæque alio nomine sunt elementa, materiamque generationi suggerunt, vel ipsa eadem potius sunt materia, quatuor quidem humores subministrant: è quibus hæc constant omnia. Hi pro motu quidem Solis Lunæque, ac vtriusque habitu, ne de alijs nũc loquamur stellis, in assiduo ubiq; sunt aut incremento, aut imminutione. Quæ è re generatio cietur atq; corruptio: exindeque in eodem nunquam persistunt statu: quando & Solis & Lunæ mutationes ipsi quoque imitentur: ac Luna ipsa continenter penè fluctuet: Sol verò erraticis cũ stellis nunc sit ipse propior, nunc contrà remotior ab regionibus, quas incolimus. quibus è rebus & incrementa sequuntur humorũ qualitatuq; , et itẽ imminutio-

nutiones. Has ad res permultū etiā regionum conferunt tū situs, tū habitus: cū *Apulia*, *Libya*, *Aegyptus* aptior sit calori siccitatiq̃ue augenda, quā aut *Germania*, aut *Gallia*: hæ verò, quā ille frigori atq; humectationi. Ad hæc terrarum aliæ non multam quidem hominum exigant aut operam, aut industriā in refrumentaria procuranda. Aliæ cōtrā suapte natura parū sint feraces. Quid, quòd habitus ipse locorum alibi obtusiora gignit ingenia, alibi magis acuta: eadēq; versutiora? Quo sit, vt tam multæ quoq; rerum earundem sint varietates: quod in saporibus potissimū ac succis ostēditur, itemq; in animalibus, siue feris, siue altilibus: ac tum in celeritate eorum, tum etiam in statura & robore, vt humores hi ipsi non solum agitationes sequātur stellarum ac cæli: verū etiam agrorum naturas, ac regionū tum situm, tū habitam. Quod cū ita sit, ne stellarum quidē effectiones vbique aut eadē, aut pares esse possunt. Quæ qui Astrologus probe considerauerit, vix ille longius aberrauerit à prognosticorū cælestiū significationibus vere pronuntiandis: quousq; tamē cōiectura se se ipsa tuto cōferre poterit. Hac igitur ipsa, quū tā opere inter se dissentiat ac tā sint, q̃ profectō sunt, cognitu difficilia: nata est hic observatio, cui⁹ p̃priū est intueri, quæ appareāt signa, eāq; aduersa, multūq; retenta in mēte, quid

quid tandem adferant, expectare: indeque à re ipsa prognostica dicta sunt. Non tamen ut semper quæ promittere videantur, præstent: sed quod plerunque tantum, cum et Medici & nautæ, ipsi quoque agricolæ in curationibus ægritudinibusq;: item in pluuijs aut serenitatibus, frugumque prouentu, aut huberiore aut modico, non raro se à signis observationeque deceptos querantur. Minus ut mirū videri debeat, Astrologi quoque si fallantur, cum ipsæ aliquando causæ inuicem se oppugnēt, actionesq; ac passiones inter sese, ut dictum est, non vno modo dissentiant. Tertio ante anno ager Campanus laborauit plus solito æstiuis pluuijs: eodem tamen tempore in agro Brutio ac Corroniensi de nimia siccitate atque æstu vineæ exaruerunt. Hinc igitur vanæ Mathematicorum prædictiones, quod ad ea, quæ portendi videntur à stellis, non omnes conueniunt simul causæ, permultaq; eos latent, quemadmodum & medicos. Et hi quidem frustra haberi solent, non solum propter naturam morbi, humorumque partem cognitam, verum etiam agrorum & regionis, aerisque ipsius ob alias causas atque alias: ac tum vëtorum, tum exhalationum. Illi verò propter incognitas stellarum ipsarum misturas, aut quod in id tempus incidant significationes aliquarum, siue copulationum, siue eclipsium, aut cometarum

tarum, multis antè annis eas portendentium, quæ parum quidem observata fuerint. Interdum quod regio ipsa perniciosè à vêtis aut vexetur, aut à salubribus defendatur, plusq; venti ad prohibendum valeant, q̃ ad nocendum hostilis stellarum irradiatio. An non Hetruria maritima pleraque pestilens est ora, propter paludes halitusque malignos ab ijs afflatos, aurasq; illos agitantes? cùm collina eius regiones sint quàm saluberrimæ? Itaque & in locis illis palustribus salutifera stellarum configurationes parum prodesse per æstatem poterunt, & collina salubritati non adeò maligna nocebunt ac pestilentes. Patrij quoq; mores, cōsuetudinesque, municipales artes, atque instituta tum publica, tū domestica, multum in utrāque partem conferunt syderalibus configurationibus. Quid, quod rerum certa cognitio, eaque quæ scientia dicitur, generalibus versatur in perscrutationibus? Quis igitur humorum, è quibus constamus, singulares adsequi possit, siue commistiones, siue temperaturas? Quis rursus syderum particulares vires, quæ tum abstrusissimæ sunt, tum penè etiam infinitæ? Quis item aduersantium inter se causarum digladiationes particulatim cognitæ & observatas habeat, & quantum, & quousque? Itaque illi ipsi, qui ad particulares dilabuntur prædictiones, ab ipso etiam Ptolemæo habentur

Y derisui

derisui, cum necesse sit eorum coniecturas obseruationesq; hac in parte vacillare: ipsosq; non solum decurrere e via, verum turpissime dilabi, deq; vestigio ruerre. Vides igitur Puderice, tam multi vnde Mathematicorum proficiſcantur errores? coniecturaq; tam fallaces, vt iure quidem irasci illis & possis, & debeas? in pestilentijs predicendis, itemq; in sterilitatibus, tepestatibus, abluuionibus, atq; euetis alijs. Veniamus nunc ad hominum voluntates, quibus si sese ipsa sensibus dominandas permiserint, nihil est fluxius, imbellius, adda etiam infractius, domabiliusque. Contra, nihil quod sit illis generosius, robustius, imperiosiusque, vbi sensus ipsos, eorumq; illectamenta nihili fecerim? miserimusq; sub iugum. Vendidit M. Cato confectum iam senio equum, qui cum ipse, siue consul, siue praetor militauerat. Marcus, inquam, Cato optimus sui temporis orator, senator, imperator, sic enim est habitus. Cur vendidit? quia voluit: quia plus apud eum attenuatissima illa valuit parsimoniae cura, quam ratio, & senatore, & oratore, & imperatore tam valide etiam spectato digna. Quodque usurpare esset solitus, bonum patrem familias vendacem esse oportere magis, quam emacem, voluit etiam in re sua praeceptum id pertinacissimè tenere. At coactus est ad hoc ipsum ab natalitia caeli stellarumque configuratione

ratione. O cælum auarissimū; ò stellas tam attenuatē ac sordenter parcas: quę in hoc tam attentæ essent, tantopere peruicaces. Potuit procul dubio cæli stellarūque configuratio Catonem facere ad parsimoniā propensiores, propter humorum, è quibus constaret, cōpactionem: non tamen, vt cū summa et senatorum, & ciuium Romanorum, siue accusatione, siue irrisione, militare vel consulare potius equum, vilissimo etiam precio captus venderet: ac si equus ille nascente Catone, sollicitas stellas sua etiam de venditione fecerit. Ptolemæus Aegypti rex sororem suam duxit vxorem, impulsus videlicet expugnatusq; natalis cæli ac stellarum themate. O prophanium cælum cum themate etiam tam impuro & coinquinato: in quo tam immanis reposita esset libido: quis vel summè etiam improbus ac peruicax adseuerare hoc audeat? Etenim configurationes illæ intemperantiam tantum portendunt humorū, ac cōcretionis corporeæ, atque in re quidē Venerea. Detur etiam et in sororea coniunctione. An nō felicissimus ipse rex ac potētissimus, poterat q; quidē noluit, sororē suā aliū locare in matrimonio, ipse aliā sibi ducere? At Medici vel modicis adhibitis medicamētis, humorē, q; nimius sit tēperāt, coguntq; sub regulā: qui minimus atq; attenuatus,

Y ij

tus, eum & exuscitant & attollunt. Tu verò, rex eximie, minime potuisti nefariam istam libidinem continere: quod videlicet noluisti. Patrauit igitur scelus hoc, quia voluit: nam si noluisset, qua diximus via, euitare illud omnino poterat. Quod ut patraret, credibile est, multas variasque in hac re cogitationes consumpsisse, sed passus est tandem à libidine sese vinci. At apud Persas eiusmodi matrimonia erant & vsitata, & concessa: secutusque est finitima gentis exempla. Nam qua promptitudine secutus ipse Persas est, Cur non Macedones secutus est suos? laudatissimosque Macedonum reges? Nequaquam autem secutus est, quia noluit, quia imperari maluit sibi à libidine; quam ipse libidini imperare. In nunc, & cælum incussa, & stellas, & nefarias stellarum configurationes: Tèpestare hac nostra, qui apud reges regulosque magistri fuere epistolarum, utque hodie dicuntur, secretarii, summum in modum locupletati sunt omnes, præter Iouianum hunc, qui adest: quam ad rem ab amicis familiaribusque assidue cohortatus cum esset, nunquam à proposito dimoueri potuit: illud in ore semper habens, Egere nolo: opulentus esse recusabo. qua ratione non modo cupiditati imperauit, pecuniarumque appetitioni: verum ipsis etiam regibus in Repub. moderanda. quam animi firmitatem his ipsis etiam diebus

bus ostendit. Quum enim capto regno Neopolitano, Ludouici Galliarum regis præfectus magistratum ei offerret, quò è reditu eius senectutem opulentio rem du ceret: at, inquit, non opulentio rem eam feceris, verum occupatio rem: quando dijs iuuantibus nullius honeste rei indigeo. Voluntas certè hac fuit ratione temperata: eaq; cupiditatum victrix, ac sensuum titillantium. Nero Augustus singulari fuit crudelitate nobilitatus: quis sana tamen mentis inficietur, in procreando Nerone seminis humorumque temperaturâ, è qua fo tus ipse & concretus est, apprimè malignam fuisse? stellasq; ipsas eam ad rem adiumenti plurimum con tulisse: vt suapte natura Nero procliu is esset atq; in citus ad seuitiam. Fuere igitur huius rei causæ tum natura ipsa, è qua Nero constitit, quòd male esset fer mentata, tum stellarum malus habitus, peruersaque configuratio, quæ aut humorem secuta est, malignum illum quidem atque peruersè affectum, aut eū mali gnitate ac deprauatione adfecit sua. Esto, detur hoc quidem. At inuenire noua suppliciorum genera, inu sitatæque excogitare tormenta, & cum artifice conue nire, qua via nauicula maternum ad naufragium op portune strueretur: Neronis hoc fuit, sanguinariaque eius voluntatis, non stellarum ac celi. Fuit autè Ne ronis, quia voluit. Voluit autè, quòd ab ambitione ra

Y iij piebatur

piebatur, qua expugnatus, cōculcauit ipse rationem. Sed de sinam pluribus iam exemplis vti, maximorū etiam virorū, quorum volūtates victa cupiditatibus, aut sensuum capta illecebris, iere præcipites. Quocirca his in hūc modū explicatis, quæramus eadem hæc aliquantō etiam exploratius. Principio, laus omnis vituperatioq; volūtarijs versatur in actionibus, existitque ab illis. Quum enim natura duce moueamur ad ea cupienda, quæ boni alicuius speciem præ se ferant. eaque à sensibus represententur, de quorū titillatione animus sese excitat: non prius tamē ad ea peragēda, quibus adsecuturum sese illa cōfidat, animus ipse expergiscitur, quàm voluntas, quo suscitetur: quæ initio quidem vt libera, ac sui iuris latius euagatur: post verò adhibita secum in consilium ratione, ac frenum sibi ipsa imponens, eo accepto, sese ipsam moderatur, redigitque intra præscriptum: mox deliberando eligit, quæ pro facultate ac viribus suis eligenda videātur: quin, ratione duce, illa ipsa perscrutatur diligentius, perpēditque maiore cum pensitatione, quæ à sensibus sunt oblata, an talia sint, qualem eorū species sese offerri: sint, nec ne ipsa vtilia & iucūda, an rursus inutilia & molesta. Post verò his perpēsis, & cognitis, euagationeq; illa tam libera sub frenum coercita, iter statim ingreditur, quò quæ eligēda esse duxit, peruenire

uenire ad ea possit. Iuris itaque atque arbitrij eius fuit
 nec ne vellet siue eligere ac persequi, seu nihil omnino
 curare. Est igitur suapte natura, statimque ex quo sus-
 citata est, libera. quæ rationem si sequatur, libertatē
 vbique suā & tuebitur, & retinebit: sin relictæ ratione
 à sensibus delinita illis obsequatur, nimirū amissa li-
 bertate, captiua ducetur, et quæ imperare ipsa sibi no-
 luit: imperio seruiet alieno. Est igitur sui iuris ac libera
 quoties sese à sensuum malarumque cupiditatum vi
 ac captiuitate tuebitur. Tunc verò facile tuebitur,
 quum excitata inter eam, sensusque ipsos contro-
 uersa, bonā ne sint, an mala, quæ à sensibus offerun-
 tur, rationem sequetur, illamque sibi in auxilium vo-
 cabit: cuius etiā cōsilio vtetur ac ductu. An non tibi
 voluntas ipsa videatur libera, quæ cū sensibus in cer-
 tamen descendat: quæque victrix omnino euasura sit:
 præterquā si illorū insidiosis blanditijs capi se patia-
 tur. Demum, quia ad actiones tunc accingimur, cū
 volūtas ipsa & voluerit, & elegerit, & decreuerit
 suscipiendum aliquod, siue inceptū, siue negotium, me-
 ritò actiones ipsæ ad voluntatem referuntur: quæ si cū
 ratione progredietur, nimirū ipsa laudabuntur: è cōtra,
 vituperabuntur, vbi & in eligēdo, & in progrediēdo
 de rationis deerrās via sensusque delitijs emollita, cu-
 piditatem sequetur ducem, illiusque inherebit vesti-

Y iij gys

gijs, parueritque imperio. Nō solū autē res ipsę actio-
nēque voluntatē liberā esse testātur: verū etiā nomen
ipsum deliberādi: quōd videlicet liberū eius sit in de-
cernendo iudiciū, velit ne suscipere & prosequi, an cō-
trā, desistere, ac sensuū ipsorū monita labi sinere. Le-
gū quoque cōstitutores, ac moderatores populorum id
ipsum testātur, cū impunita dimittāt crimina, quę
furentes admittunt, atque insania perciti: quōd volū-
taria ea minimē sint: nec furētes ipsi liberi aut sint,
aut haberi debeant. Postremō autem cōsiderandū vi-
detur, cū sensus corporei ipsi sint, singulique corpo-
reis vtantur instrumentis, vt auribus ad audiendū, vt
oculis ad videndū, naribus item ad inodorandū, pa-
lato linguęque ad degustādum, ac siue manibus, siue
alia parte corporis ad tangendū, voluntatem tamen
ipsam nulla parte corporis vti, nullaque re corporea,
quin aut deliberat, aut eligit, decernitque: quippe
cū vis ea potestasque tantū sit animi, atque ex o-
mnibus animalibus, hominis vnus: quo fit, ceterarū
quidem sit, siue impetus siue instinctus tantummodo
hominis verō voluntas propria ac peculiaris. Igitur si
stellarum effectiones versantur inferioribus in corpo-
ribus, rebusque illis tantū quę ex elementis cōstāt:
ipsaque elementa campus quasi quidam sit, in quo
stellę vires exercent suas: quanam via volūtates ho-
minum

minum subiectæ illarum sint agitationibus? quarum iurisdicção tantum sit in elementis, rebusque elementaribus, animus verò & incorporeus ipse sit, & ab omni prorsus elementari qualitate ac conditione vacuus: cuius voluntas ipsa vis potissima quidem sit, quæ actiones, ad quas homo natus est, vel commendatione honestet, vel opprobrio damnet, ac contemptu. Iure igitur Puderice, Mathematicis illis succenses, qui tam sint futuras ad prædicendas res proni, hominũque mores ac fortunas ab ortu statim ipso pronunciandas, ac si nulla in eis sit libertas, nullaque deliberandi, aut eligendi, siue ratio, siue authoritas: quæ quidem tanta est, ut homo sui iuris sit in ijs administrandis omnibus, quibus animus imperare habeat, nec corporis ei sit opus ministerio ac præsidij. Possunt cælestes tamen cõfigurationes impedimẽto illis tunc esse, ac sese animo ipsi opponere, cum corporeis atque externis indigeat auxilijs ac fauoribus. Vbi verò actiones solius tantum fuerint animi, frustra tunc de stellarum actionibus disputatur, ac viribus: cum, ut dixi, animus ipse liber sit, ac suo apte arbitratu eligat decernatque. Hac habui tecum, tuamque in defensionem, quæ, Francisce, dicerem, longius fortasse, quàm portio dicendi ferret me: a brevius certe, quàm res ipsa exigit. Quam ob rem finem his faciam, si prius tamen hoc subdiderim

Hominum

*Hominum illorum numerum oppidò quàm exiguū
esse, animum qui colāt, animique arbitrati utantur
atque imperio: cū multitudo fere vniuersa corpori
sit omnino dedita, corporeisque illecebris, vt fortasse
mathematicis ipsis permittendum sit, laxissimis etiā
habeis currere ad apotelesmata pronuntianda.*

FINIS.

μιχαήλ ὁ καρλοπολίτης τῷ ἀεροφίλῳ.

Ὅστις ὀρεῖς φιλικῶς τοῖς ὀφθαλμοῖσιν ὀλυμποι,
τοῖ γ' ἄστροισι πόλον περικυλοῦ αἰθερίοις·
ἀντίκα τὴν γῶμιν ἔξεις φρίκη ἐν θυμῷ
πάντοθι φαιέσθαι μή τι δῖα θιοῦ.
πολλὰ μὲν αὐτὰ φέρουσι, παραγγέλλουσι τε πολλὰ,
πᾶν δ' ἐπὶ μελλόντων αὐτὰ λέγουσι καλῶς.
οὐτ' ἀλόγως φήσω ἄστροις δυνάμιν τινα θεῶν
εἶναι, ὅτ' ἐκ τούτων θεῶν ποῦσι σοφοί.
καὶ λόγῳ ἄρ' οὐ μάκαρες μεγαλῶσι τ' ἑσὶν ἄπαιτες,
οἱ θεοκτείνονσιν θάνατα λαμπρὰ πόλου.

IDEM.

*Lumina ad aethrios si quando dirigis orbeis,
Qui rutilo varij sideris igne micant:
Miratus dices animi quòd in aethere summo*

Part

*Pars quota consilij sit tibi visa Dei.
 Plurima nanq; monēt, nec habent ea corpora vanū,
 Quæ de venturis multa monere solent.
 Nec dubium est illis quin sit Dīs proxima virtus:
 Inde reor vates fata futura canunt.
 Feliceis igitur nimium nimiumq; beati,
 Quæis studium est rerum discere fata polo.*

*Bernhardus Bertrandus Regiensis
 Lectori.*

*Quæ de iudicijs astrorum mente sinistra
 Dicuntur multis, hic agitata vides.
 Exhibet hunc nobis librum cum laude peritus
 Gernasius doctè tradere multa parans.
 Vindicat ἀσεολογῶν falsa ratione notatum,
 Taxatum & miseris nobile dogma modis.
 Iam velut in portu suffultus munere tanto
 Astrorum causas discere quisque potest.*

E R R A T A.

Pagina 2. in Epigram. include versum 8. parenthesi. pag. 4. li-
 nea 2 1. lege incumbunt. 5. 1. reuocatam. 16. 2 1. tamen como-
 tionem. 20. 18. si non vniuersalis. 22. 1. & consequentiæ, artium
 principia, vniuersalis deniq; seu &c. 24. 17. At quod. 25. 6. sub-
 iectum habet materiã. 28. 13. Non finit enim se. 35. 16. con-
 spectus. 37. 6. monstratis. 39. 22. species diuersæ, huc. 41. 12.
 ponit rationes. 43. 11. Lecomantiæ, aliæ item, ead. 13. super-
 stitiosæ, 88. vlt. omnes, Finis.



Antonii Mizaldi

MONSLVCIANI COMETO-
graphia: crinitarum stellarum quas mundus
nunquam impunè vidit, aliorumq; ignitorū
aëris Phænomenon, naturā & portenta duo-
bus libris philosophicè iuxtà ac astronomicè
expediens: & de variis præteritorum sæculo-
rum obseruationibus, gentiumque ac re-
gnorum historijs accuratè demon-
strans & confirmans.

Habes insuper Catalogum visorum Cometarum & igni-
torum aeris spectrorum, vsque ad annum 1540 cum porten-
tis & euentis quæ secuta sunt.

AD REVERENDISS. CARDINALEM
A CASTELLIONE.

Cum Priuilegio Regis.

P A R I S I I S,

*Excudebat Christianus Wechelus, sub Pegaso, in
vico Bellouacensi, Anno salutis humane,
M. D. XLIX.*

MI Z A L D V S.

HEVS heus Castalides, quò (precor) receditis?
Adeste celeres, fons vester Parnassius
Aquis scaturiens doctis, quem flebiles
Doletis exsiccari: nunc pau p e r e u l æ
Mineræ miseros miseratus clientulos,
Inundat longe, Cardinalis inclyti
Fauore, gratia, sumptuque libero:
Ob id Castellio nomen à vobis datum est
Ei Castalio è fonte, ô Musæ Castali.
Est vester pòrtus, vos amat, vestros fouet
Quibus potest modis: quare gradum citò
Reuocate sacræ Castalides: & splendido
Parenti vestro Cardinali gratiam
Habete pro vestris alumnulis: quibus,
Deus! quàm gratus & bonus: non quæritur
Magis qui sospes illis viuat, ac diu:
Nam splendor Castalii fontis, Castellio
Perdoctus Cardinalis, doctorum est pater.

Et c. à me, vobis à m. e.

REVERENDISSIMOQ SIMVL ET
 eruditissimo Cardinali à Castellione, Tholosano
 Archiepiscopo, & Bellouacensi Comi-
 ti, nec non Francia Pari Antonius
 Mizaldus Monslucia-
 nus S. D.



VM olim rudibus populis, &
 rustico admodum sæculo sacrarū
 ceremonias Orpheus Calliopes &
 Apollinis filius aperiret, ornatiss.
 Cardinalis, nihil aliud ab his quos
 initiabatur cū formidabili numi-
 nis authoritate, et iurisiurādi necessitate exegisse tra-
 ditur, quàm inuenta ac semel cōposita religionis my-
 steria prophanis auribus non proderent. Quod sæcu-
 lis aliquot pōst, ter maximus Hippocrates bonorum
 omnium, vt est apud Galenum, parens et author, non
 minus laudasse quàm probasse mihi videtur: suos φι-
 λιδτες & medicina candidatos iureiurando ob-
 stringens, ne diuinæ artis salutaria oracula inerudito
 vulgo temerè committerent, & quibusuis sine discrimi-
 mine communicarent: sed his duntaxat qui se sacro
 Aesculapio deuouissent, aut iurati sua illi nomina
 ex animo dedissent. Nam detrimentum diuina quæ-

A ij que

4 EPIST. AD REVEREND.

que & præclara patiuntur, omnemque dignitatem
 vnâ cum fide amittunt, quoties ad stupidos Midas
 perueniunt, vel inuersos Apuleios iudices nanciscū-
 tur: quibus stramina quàm aurum, & putida quàm
 suauiter olentia, potiora esse ignorat nemo: turpi sanè
 Scarabeorum exemplo: qui ut est apud Plutarchum,
 λέγονται τὸ μύρον ἀπολέπειν, τὰ δὲ δυσάδου διώκειν.
 Quod cum animaduerteter Pythagoras, suis ἐχρυ-
 σάων handquaquã temerè indixisse existimatur: qua
 certè ante quinquenne silentium exolutum fuisse ne-
 minem, fidem facit antiquitas. Sic Plato Timæum
 & Mercurius Pimandru perpetuò apud se frequen-
 tes habuerunt; ne secretorum colloquiorum veneran-
 das disputationes & rerum celi ac naturæ sacratissi-
 ma mysteria, imperitis & rudibus prophananda
 exponerent: quibus scelerata nescio qua arrogantia cū
 ignorantiâ indelebili vitio coniuncta, rebus bonis abuti,
 & optima quæque in venena cōvertere solenne pas-
 sim esse solet. Quod ego dum iugi & anxia cogita-
 tione excuterem, mihi vijs omnibus prospiciendū esse
 duxi, ne in talem ingeniorum laniemam, & bonarū
 rerum carnificinam inciderem: satius esse ratus mea
 æternū suppressere, quàm indoctis & malis sine
 usu, fractu & gratia dilapidanda committere. Cæ-
 terū in hac dubitationum cruce cum diu multūque
 pepen-

CARDINAL A CASTELL. 5

pependissem, hinc disspiciendo et cogitando: illic
 querendo et percontando cuiusque et me et mea
 quantulacunque sunt, tuò tradere: ecce, facto meo bi-
 no, peropportune de omnibus mihi vnus in mentē ve-
 nisti digniss. Cardinalis, qui de vniuersis disciplinis
 tam ceriò ac seriò iudicare soles, deque illarum cultoribus
 tam facile mereri, quàm mortalium vllas cum
 ob variam eruditionem, tum etiam propter raram et
 nulli non deosculatum naturæ tuæ candorem, synce-
 ri que pectoris testimonium ab omni fūco, omni calū-
 mia, omni odio alienum. Ex quo literarij ordinis præ-
 stantissimos quosque, et disciplinarum omniū Co-
 rryphos tibi facile concilias, ac quadam Genij simi-
 litudine, ceu magnes ferrum, allicis et coaptas. Ne-
 mini impono, quod verum est dico. Cuius rei clarissi-
 mi viri domestici tui, constantissima cuique dabunt
 testimonia. παλαιὸς λόγος ἐν ἡμῖν (inquit Agathon in
 conuiuio Platonis) ὡς ὁμοιωμένοι φ, αὐτὸ πάλαι, Simile
 simili semper hæret. Sic doctus Cardinalis, doctis do-
 mesticis perpetuò oblectatur. πολὺς δὲ Cardinalis va-
 riè eruditos amat, meritis honoribus decorat, et sua
 liberalitate locupletat. Hinc apud te reperire hodie li-
 cet viua voce concionantem Chrysostomum: philosophan-
 tem Platonem: disputantem Aristotelem: medi-
 cantem Galenum: in rerum historia versantem Pli-
 nium

nium: celestia tractantem Ptolemaeum: demonstrantem Euclidem: numerantem Boethium: cantantem Timotheum: terram describentem Pomponium: gentium & regnorum bella ac mores recensentem Trogum: eloquentia omnes demulcentem Ciceronem: in summa, quidquid habet Latium, Gracia quidquid alit: exemplo, ita me Deus amet, omnibus non dicā reuerendis. sacri ordinis fratribus tuis, sed & regibus & principibus imitabili: quibus cum Alexandro literis clarere gloriosius multo esse debet, quàm sceptro, opibus, aut satellitio valere. Sed hac (quod dicunt) extra oleam. Itaque ut ad te nostra recurrat epistola: cum ego venerādum nouem Musarum chorum in tuis aedibus, imò verò tecum perpetuò versari audirem, & certò scirem, precium opera facturum me putauī, si hasce Commentatiunculas meas ex penitissimis rerum celi & natura sacrarijs deproptas, sacris tuis Musis, atq; adeò Vrania per compositum ociū excutiendas offerrem. Quibus utinam tam possint placere, quàm ipse authori & parenti ex animo places: hoc si fit, satis est, nil aliud cupio. Feliciter vale Cardinalium decus: ac Mizaldum iam iam tibi mancipatum amare: & si quidem meretur, fouere incipe, vel potius perge. Lutetiæ Parisiorū Cal. Martij, in Bellouacensi gymnasio. 1549.

7

CARMEN GERVASII MAR-

stalleri Brisgoici, ad Antonium Mi-
zaldum Monflucianum.

Perge bonis auibus cæptos absolvere cursus,
Mizalde Vranii gloria magna chori,
Perge tuis gradibus post æra pingere cælum:
Cælum quo toto dignius orbe nihil.
Est magnum illecebras telluris spernere posse,
Et patrii tāt m' quærere regna poli.
Vulgus amat terram: studium terrestre sequuntur
Vnica quos ventris cura molesta tenet.
Te placidè sursum virtutis sola voluptas
Inuentor rerum Mercuriusque trahunt.
Magnum fecisti saltum: vltra perge, supremi,
Te clamant orbes, cælica templa petunt.
Iam quod habet tellus, & præceps æquoris vnda:
Aerius triplex quidquid & orbis alit,
Gnaviter omne suo scrutatus es ordine: nobis
Fecistique tuis notius esse libris.
Dextro Mercurio & certa ratione, Cometas
Nunc etiam tractas, summa per ima petens.
Postea te confers ad Lunæ proxima tecta:
Quis labor illius quæris, & vnde fluat.
Cur omni interdum priuatur lumine: quare
Exagitet votis inferiora suis.
Curque ita iam reuocet, iam distrahat æquoris vndas:
Critica cur morbis tempora certa ferat.
Cætera & intuitu sic spectans omnia firmo:
Quæ suprâ & infrâ promonet enumeras.
Corporis humani quænam est concordia toto
Cum cælo nobis sedulus inde notas.

*Libri à Mizal-
do scripti.
Ephemer. aeris
Meteorologia.
Cometograph.*

*Lunæ & ocea-
ni Concordia.*

Seleniatricon.

*Harmonia ma-
crocosmi & mi-
obseruas macrocosmi.*

Obsequia quantam Phœbè & totius Olympi
Adiiciant medicis, sidera rebus opem.

Aesculapii & Vranie cōiugiū Vraniam Phœbo simul atque Coronide natam,
Astrophania. Diuulsum rufus, sedus inire iubes.

Eclipsiū Apho Atque ita connubii latus noua gaudia spectans,
rismi et decreta Supremi numeras lucida puncta globi.
Insuper Eclipses, & quæ portenta sequuntur
Doctè persequeris; cætera conticeo.

Quæ, precor, è summo demittas æthere nobis;
Et cœptam fausto numine carpe viam.

Est iter exiguum: iam pars est maxima facti:
Te (scio) donabunt pulpita docta loco.

Perge igitur cœptos felix absolueris cursus,
Mizalde Vranii gloria magna chori.

Antonii Mizaldi

MONSLVCIANI, COME-
tographia Liber primus.

CAELI AC TERRAE HARMO- nia & coniugium. Caput I.



IN eorum omnium albo quæ superioris sæ-
culi homines rerum naturæ interpretes di-
ligentissimi, & nomenclatores solertissi-
mi, μετέωρα inscripserunt, nullum reperio

neque illustrius, neque explicatu difficilius crinitis
stellis: quæ sicuti minimè sunt frequentes, ita maximè
admirabiles, quia cælo nunquam impunè visæ. Et
haud scio an aliquid de illis scriptum extet, quod na-
turam, causas & portenta ita expediat, ut nō incer-
tior legentis animus in recessu, quàm frōte relinqua-
tur. Scribam itaque de illis pro mea tenuitate, philo-
sophice pariter & astronomicè, ut bonum erit & cō-
modum: breuitatem, quoad eius fieri poterit, cū per-
spicuitate ubique iungēs. Opus sanè arduum & im-
peditum, sed aspici tamen ac cognosci dignissimum,

Crinitæ stellæ
inter omnia
μετέωρα diffi-
cilem habent
contemplatio-
nem.

B. & si

Et si non scribentis ope, saltem ipsa sui cōtemplatio-
 ne pretium opera legentium absolvens. Quod cur di-
 cam, siue id rei difficultate, siue ingenij mei imbecil-
 litate, siue aliqua alia de causa accadat, iudicabis po-
 steà. In quo vel ob id ignoscere mihi debebis, quòd tã
 libèter quæ scio docere semper fui paratus, quàm quæ
 ignoro abs te vel alio quouis discere. Itaque ingenio et
 laboribus minimè parcam, vt certi aliquid de re in-
 certa tibi candidè impertiam. Quāquam optare id
 magis mihi licet quàm præstare: de me dico, non de
 alijs quibus propitiæ semper fuerūt Musæ: nec pudet
 me fateri quod res habet. Vt itaque tabulæ (quod di-
 cunt) manum aliquando admoueam, rerum celi &
 naturæ candidatis fundamenta hunc in modum po-
 no. Assyriorum Babyloniorumque philosophi cum
 Pythagoricis & Academicis, omnium primi celi
 & terræ οὐρανὸν καὶ γῆν & coniugium ideo celebrasse mi-
 hi videntur, quòd cælo agendi, terræ verò patiendi na-
 turam inesse probè intelligerēt, illudque mariti, hanc
 vxoris vices sustinere & gerere. Quorum harmonia
 rerum huius mundi æconomia & generationi quan-
 tum conferat, vel philosophia tyrunculo tam notum es-
 se arbitror, quàm est quod dicūt suis canibus Delia.
 Ceterum coniugium hoc foueri & concordie pace li-
 gari voluerunt sempiternis Solis & Luna ac stella-

tum

Cæli ac terræ
 coniugium &
 conciliatio.

COMETOGRAPHIAE LIB. I. 11

rum omnium radijs, accedente motu & luminũ per-
 missione, à quibus ceu prolifico semine quodam geni-
 tales, vt sic loquar, telluris partes, per aërẽ paranym-
 phum inter vtrumque medium titillari, assiduãque
 visione & reuisione, nec non motu irrequieto, quasi
 illabète vitali aliquo semine, cum suo vectore spiritu,
 illustrari, illustrando temperari, temperando sæcun-
 dari, ac tandem anima, cuius gratia terra sætus om-
 nes viuere dicuntur pro geniti natura et modulo qua-
 licunque donari, nemo est, nisi fortasse obesulus qui-
 spiam Epicuri de grege porcus, qui negare conten-
 dat. Vnde non modò utilis, sed etiam necessaria esse
 censetur vtriusque hac conciliatio, copula & ὁμολογία.
 Quod poetæ, primæ hoc est antiquissimæ philosophiæ
 parètes in Cybele quæ terra etiã dicta calo ac Vesta
 nata, imò verò expressiùs in Proserpina sospitatoris
 Iouis, almæq; Cereris filia innuisse et intellexisse mi-
 hi semper sunt visi. Quæ dum fabulosè, vt tum fere-
 bant tempora, suis coloribus nobis depinxerunt, indi-
 cibilem quandam harmoniam ex calis & terræ con-
 ciliatione natam, atque rerum vniuersitati adprimè
 necessariã, omnibus ob oculos ponere maxime volue-
 runt: & in primis seminalem, vt opinor, rerum om-
 nium animam cum vectore suo spiritu: seu, vt Pla-
 tonice loquar, vim quandam animabilem à calo

Antiqui Poetæ
 primæ philoso-
 phiæ parentes.

B ij in

in totam vniuersitatem diffusam: quæ rebus omnibus impertit simul & speciem & natium vitalémque calorem gignendis illis atque conseruandis adprimè necessarium. Hac quia vbique proserpit, et vi occulta sed tamè spirabili, omnia fouet, vegetat, ac producit (nisi quantum noxia corpora tardant, quèadmodū ex Platone scripsit Maro) ideo Proserpina illis dicta fuit. Sed hoc quidquid est, de Academicorum et Peripateticorum sententia demonstrantem, si placet, audiamus Claudium Ptolemæum rerum cali et naturæ inrerpretem diligentissimum. Principio (inquit) euidentissimum est & verbosa non indiget probatione aut interpretatione, pertransire & diffundi vim quandam ab æthere a, caelesti & sempiterna natura in vniuersa terra circumposita & semper mutationi obnoxia corpora, quæque sub Luna sunt prima ignis & aeris elementa, quæ quidem ipsa includuntur & agitantur æthereis motibus, includuntque ac agitant inferiora omnia, terram, aquam & quidquid in illis nascitur animantium aut germinum. Hac ille: à quo, vti etiam à poetis viris vbiq; summis, ad Philosophos commodum deficio: apud quos terram mundi aluum appositissime dici, vt audio, ita vehementer laudo & probo. Illa etenim cum eorum omnium quæ sunt in vniuersa rerum natura, excremen-

Ptolemæus ini-
tio sui Quadri-
part.

Terra cur mū-
di aluus ab an-
tiquis nuncu-
pata.

COMETOGRAPHIAE LIB. I. 13

excrementa superflua, humani glui modo recipiat, iure optimo eam nomenclaturā hinc adepta esse mihi videtur: eorumque corporum, quae (quod sint rerum omnium principia) elementa dicuntur, postrema collocata. In quam ut ad vniuersitatis centrum cuncta ferri, non est qui non agnoscat: nam & caelestium corporum radij lapsu perpetuo & indefesso (nisi quatenus per nubilosum calum est negatum) in eam descendunt: & quidquid sustinere diutius aer nequit, suo pre impulsu decidens, eò promptissime festinat. Insuper quia aquis innatat, easque dum visum est reclusis poris affatim admittit & emittit, Solis ac aliarum stellarum radijs pulsata, humiduli vaporis astuosaque aspirationis, non secus atq; muliebris uterius aut humana aluus, fecunda habetur nutricula. Unde assidua vicissitudine & hanc & illum consentiente aquarum vndique ambiente multitudine, passim exhalat, & constanter parit, ac vi cali sursum per aerem è medio sinu abripi sinit: in eos usus quos in nostra Meteorologia tibi expressimus, & hic deinceps etiam expressuri sumus. Cuius vicissitudinis Sol deorum caelestium, ut in Pymandro loquitur Trimegistus, Deus praestantissimus, & salutaris luminis atque caloris focus inextinguibilis, accitis aliarum stellarum praesidijs potissima

B iiij. causa

Terra vaporū
& exhalationū
fecunda nutri-
cula.

Solis maiestas
& dignitas ex
Mere, Trim.

*causa cum sit, tandiꝰ ipsa emittendi & remittendi,
dandi & accipiendi alternatio vigeat, quandiu cæ-
lum, celestiuꝰque ignium moderator Phæbus circa ter-
ram vehetur ac lucebit.*

AEREM RECEPTACVLVM A-
*spiracionum omniuꝰ, in tres regiones distribui: addita
cuiusque natura, ratione & ordine, vnâ
cum celestium radiorum in paratis
materijs energiea.*

Cap. II.

Aer vaporuꝰ et
exhalationum
recipiendaruꝰ
locus.



*Nimvero quia è terra & aqua qui exi-
liuꝰ tam vapores quàm halitus, in aliquâ
regionem vt recipiantur necessum est: at-
que è densissimo, ponderoso ac infimo loco
quia non nisi in eum qui rarus est, levis & supra po-
situs (nimirum quo illorum natura sponte vergit) ten-
dere queunt, idcirco ad vnum aërem cuius ratio cum
situ in id conspirat hospitij ius omne meritò deferetur.
Quod ita esse fidem faciet Iouianus Pontanus poë-
ta & philosophus insignis, hunc in modum scribens
ad Lucium Franciscum filium:*

*Nate (inquit) vides spatium immensum, tractuꝰque
profundos*

Aeris

COMETOGRAPHIAE LIB. I. 5

Aeris, atque vnà terras, pontumq; obeunteis.

Rara quidem natura illi, ac penetrabilis altè:

Densatur tamen, & crassum fouet vsque vaporem,

*Quémque & aqua, quémque & terræ excreuere
frequentem:*

Aspirant quæcunque etenim, quæcunque vaporant

Sufficit hac pontus, ponto & circumdata tellus:

Cuncta sinu grauido recipit diffusior aer.

Hæc vir ille extra omnem controuersia doctissimus,

de ære pronuntiavit: cuius ærea longè, latèque patens

in prouintias tres, quasi promptuaria & conceptacu-

la eorum omnium quæ sursum ab imo abeunt & re-

deunt, præscorum more hic à nobis distribuetur. Prima

& infima, quod terræ vicina sit, ubi duplicati Solis

radij maxime inualescunt, nunc calere, nunc frigere,

nunc tepere, & omnino varios primarum qualitatiû

gradus (pro diuersis anni temporibus, calis cõstitutio-

nibus, & solarium radiorum proiectionibus) susti-

nere & excipere, ab vniuersa rectè philosophantium

schola iudicatur & censetur. Secunda in quam con-

ueniunt, quæ in pluuias, grandines, niues & huius

pluuiæ alia transeunt abeuntque, frigere & horrere

omnium testimonio perhibetur. nec aliã ob causam

quàm quod radiorum Solis reflexione priuatur: qui à

terra, ubi refracti maxime resiliunt & geminantur,

sicut

Pontanus in
Meteorol.

Primæ & infimæ
regionis
aeris natura.

Secundæ regio-
nis aeris natu-
ra

sicuti altè ob imbecillitatem ascendere nō possunt (dilatantur enim refractiones in vastum aerem effusis dispersisque hinc inde radijs) ita nec exactè, multūque & diu (quod à desiore obiecto semoti sint) calfacere haudquaquam valent. In quo etiam à tria-
 gis aeris non omittes, nam ut in summa regione calet aer, ita in infima: illic propter caelestium corporū motum, radios, viciniam, & loci volutationem, hic ob reflexionem, & ut iam diximus, radiorum Solis duplicationem, ex quo fit ut medium frigidum relinquatur: quod tamen si de sua natura ob leuem radiorū penetrationem utcūque calidum censendum est, nihilominus ob contentas in eo res frigidas (ut alia taceam) frigidior euadere potest: ad qua etiam ex superioribus adicies circumstantē vtrique calorem, qui à circumferentijs cētrum versus, nimirum ad mediū, frigus ceu hostem cohibet ac comprimit. Quemadmodum aestate fieri solet in puteorum aquis, & aura in specubus ac caueis contenta: qua duo propter circumfusum calorē ab omnibus frigidiora probantur. Tertia aeris regio circa quam omnis instituti nostri versatur cardo, sublimis, rara & calida esse censetur: cū ob viciniam aetheris & caelestium ignium qui illam de propinquo motu ac lumine (praesertim quā ad Lunae orbem propius accedit) egregiè & insigniter calfaciunt

Vnde media
 aeris regio fri-
 gida esse cen-
 setur.

Tertia & vlti-
 ma regionis
 aeris natura &
 situs.

COMETOGRAPHIAE LIB. I. 17

faciunt: tum etiam ob reuolutionem quam cum ignis elemento ab ortu in occasum per meridiem quatuor et viginti labentibus horis, cum primo, vt loquuntur, mobili communem & celerrimam habet. A qua Peripateticis, quibus motus omnis (tamet si re clamat Val la) calidus est, cum iam positis causis alijs iure incallescere calefieri que traditur, ac ignis naturam proxime emulari: sed ita vt neque flamma sit, nec aliud quiduis quod ex se lucem praeberē possit, ac statim vt prima, ferrum candens, fax, vel quid simile ardere: quin potius vt inane quodpiam subferuidum, quale in hypocaustis apparet, & clibanis fornacibusque, ac reliquis caldarijs à circumposito vel praecedente igni calentibus: in quibus flamma quidē aut lux nulla est, sed feruor talis & aestus, seu ἔμπνευμα, quod si aridulus fumus, stupa, fuligo, aut tenuissimus, incendioq; peropportunos puluis, vel eius natura, res alia eò commigrarit, accedente vel omnium leuissima occasione, ilico inflammetur. Quae res in summo aeris tractu locum habere potest: in quem si materia vstioni apparata transuerit, praeter connumeratas causas circumstantium ignium manus, vt sic dicam, incendiarias egre effugiet. Quod si ignis noster materialis hoc habet vt tempore quam breuissimo in materia etiam flammæ minùs obnoxia, id moliatur quod hu-

Vnde suprema
aeris regio ca
leat.

Similitudo sa
nè quā elegans
& apta.

C mana

Radiatorum cœ-
lestiū energie
in paratis ma-
teriis,

mana industria multis mensibus, imò verò annis in-
finitis vix posset: si in mundi inferioris corpora etiam
remotissima à celo, tantum habent virium aestuantes
Solis radij, vt nunc fœni metas, nunc culmos teçta (vt
cum Plauto loquar) imbricantes incendant, adeò vt
quod calamus fuit, ignis fiat, quid in materia vt igne-
scat paruum momentū exigente, à potentissimis, pro-
ximis, subtilissimisque ignibus, æthereis et cælestibus
(quorum actio celerrima est) fieri posse mihi donabis?
Si putrescentis columbini stercoreis halitum, in Asi-
atica Mysia domum resina illitam (cū Sol plurimus
aestate media incidisset) cremasse legis: si Medæ in-
signis veneficæ coronam in regis perniciem concinna-
tam, à faculis etiam longè ardentibus (quod pice, bi-
tumine iudaico, sulphure, naphtha, oleo, resina, & re-
bus alijs potestate calidis, & ignis semina continē-
tibus, vt scribit Galenus, delibuta esset) flammam fa-
cile concepisse, & per aerem ignes quadā naturā fa-
miliaritate emulxisse audis & cōcedis? si industria ijs-
dem imbuta miscellaneis, citò & leuiter à calore cor-
poris de potentia (quod dicunt) ad actū deducta fuisse
poetica, aut si manūs, philosophica, nec non historica
lectione doceris? si, vt habet Ouidius,

Ga'le. lib. 3. de
temper.
& de simpli.
medic. facul. I.

Ouid. lib. Me-
tam. I.

-Cum balearica plumbum

Funda

COMETOGRAPHIAE LIB. I. 19

Funda iacit, volat ac mox incandescit eundo,
Et quos non habuit sub nubibus inuenit ignes.

Ad hæc ut scripsit Pontanus,
Si ferro præfixa, & neruo impulsæ sagitta,
Æra per vacuum ignescitq; ardetq; volando.

Iouia. Pont. in
Meteorol.

Quid per Deum immortalē, in somētum halitus-
sum, rarum, leue, aridum & potestate ignitum, ni-
mirum in fumū suboleaginosum, cui flamma, ut tra-
dit Aristoteles, proxima est, celestium ignium præ-
sentem energieam, vnā cum loci natura, motu & æ-
there, posse arbitraberis? Perspicuum est (inquit Ga-
lenus) quod multa sunt quæ ubi velleuē mutationē
extrinsecus adepta fuerint, secundum naturam de in-
de suam ad plurima procedere possunt. Quod mira-
culi parum aut nihil habere mihi videtur, cum in ha-
bentibus symbolum (ut loquuntur philosophi) facilis
sit transitus. Ergo supremam aeris officinā, aut, si fa-
miliarius me vis loqui, regionem, ob iam dictas cau-
sas admodum calidam esse posthac non dubitabis, i-
doneamque materiam, & apparatus facile ac le-
uiter incēdere posse. Sed quæ hætenus de tribus æ-
ris regionibus hic à nobis scripta sunt, elegantissimis
Iouiani Pontani versiculis illustrare, probare, & cō-
firmare absurdum non erit.

Gal. lib.
simpl. 1.

Et quoniam (inquit) tres in partes distinguitur ær:

G ij

Prima

Prima aequè patiens est frigoris atque caloris,
 Alternasq; vices alterna sorte rependit,
 Vere tepens, æstate calens, eadem horrida brumæ
 Proxima ab inflexu radiorum amota, malignum
 Frigus, & algentem latè complexa rigorem.
 In quam ceruleus passim vapor actus inerrat,
 Inde cadunt imbres, inde & nix concitat alas.
 Ultima torrenti semper sistit vsta calore:
 Flammarum consueta vagos inuoluere tortus.
 Halitus ille igitur longe, validusq; potensq;
 Huc penetrat, superatq; hyemes & frigora victor.
 Sed hæc festinanti ad alia satis. Itaque instituta me-
 thodi non oblitus, quod reliquum est sequor.

Aspirationum inferiorum species & natu-
 ra: ad hæc quid illæ in aëre moliantur cum v-
 niuscuiusq; diuersorio & situ. Cap. 3.



Erram vna cum aqua, Solis ac stellarum
 radijs, vt diximus, pulsata, duplices in
 ambientem aërem spiritus, aut si maius
 halitus, tenuissimos quidem et leuissimos
 emittere, nemo est qui apud omnes omnium gentium
 philosophantes scholas confessum, receptumque ne-
 sciat. Vnum humidum, rosida aspirationis plenū, &
 ab

Terræ halitus
 seu spiritus du-
 plices,

COMETOGRAPHIAE. LIB. I. 21

ab aqueis corporibus vi celi ad mediam vsque regionem aeris & infra exhaustum stimulantēque illius natura pedetentim perlatum. Alterum siccum & in fumi corpus è terra conformatum, ignis familiare pabulum sustinens: illum Latini vaporem nuncuparunt, halitui animantis, & ei qui à feruente aqua attollitur simillimum. Hunc vero exhalationem, quāquam rectius fortasse fumus diceretur: eo quod exhalatio pro vapore quoque accipi solet, & sanè frequentius quàm pro fumo. Vtriusq; exempla admodū familiaria proponam. Cū igni domestico aquam in vasculo vt calet superponis, vi caloris halitum quandam emitti, facile, vt opinor, obseruas: huic vaporis nomen dato. Præterea, eidem dum arida ligna admoues, ab his caloris stimulo, fumum siccum alta petere & excerni rursum animaduertis: huic exhalationis nomen indito. Jam quod in mundo inferiori est ignis, id in superiori Solem & astra esse puta, calorem rebus inferioribus inducētia: & quod domi nostra est aqua igni admota, id in vniuerso humidiores esse terræ partes, paludosas & stagnantes, ex quibus suspirant vapores, & affatim excernuntur. quod demum nobis est lignum igni adpositum, id ipsum in sensibili mundo esse partes terræ sicciores, ex quibus assurgūt exhalationes: & ex his quæ domestica sunt,

Vaporum & exhalationum analogia sanè quā appositā.

C iij duplices

duplices halituum expirationes collige: per rarefactionem & extenuationem virtute celestium corporum & spiritu ab his manantium, ut proprium rei cuiusque calorem taceam, factas & genitas. Quod tibi nouum & inauditum non erit, si explicata parumper intelligentia, crasso quodam exemplo simile quid in corpore humano contingere ostendero: cuius particulas labore, motu, aestu, aut alia quauis excalfaciente causa tam externa, quam interna exagitatas, rarefactis & tenuatis humoribus, nec non poris vnâ cum vñs communibus vtrunque reclusis (nam Hippocrati & Galeno, hominis perinde atque terra corpus omne conspirabile est & confluxile) nunc humidulum quendam vaporem & blandum, nunc halituosum & igneum spiritum, pro caloris et corporum natura, languide aut affatim expirare, facile & leuiter, apprehendes. Sed de aspirationum natura & ratione, paucula hæc de multis erūt satis. Ex quibus nos eam hic tantum venari scies & persequi, quæ effumationis seu fuliginosi aridiq; halitus nomen proprie sibi vendicat: ut quæ materiam crinitis stellis, ignitisq; alijs impressionibus aeris, pro quibus in hac stamus arena, in primis accommodam sufficiat. Cuius species treis totidem aeris regionibus destinatas, cū antiquis summatim tibi pono. Vnam quæ in prima
 seu

Corporis hu-
 mani cum ter-
 re corpore col-
 latio elegans.

Exhalationum
 seu fumidarū
 aspirationum
 species tres.
 Prima.

COMETOGRAPHIAE LIB. I. 23

seu infima suo quodam iure sibi tentoria figit: estq; calida sic satis & sicca, admodumq; oleaginosa in spatijs terra inanibus, per Hyemis & Autumni finē ob æthereis ac calentibus, crassi spiritus modo latitans, & comite flamma, de agitatione, attritu, elisione, motu, & propria natura, qua data porta, in ipso exitu, vel haud ita procul conciliata (nam potestate est ignis) nunc altius, nunc depressius, ob vinctuosam quandam gravitatem, expeditissimè exiliens, ac sonum (vocē humanam dicas) propter exitus angustias, cuniculos, mutuam collisionem, incendiij crepitationem, & alia, sub diuersis imaginibus & spectris nonnūquam adens, pro materia qualitate, quantitate, modulo, connexionē, loco, motu & alijs, vt postea ostendemus. Secunda Secunda calida & sicca supra alterius latitudinem, mediam aeris regionem nequaquam prætergredi censetur: in qua collectis viribus et congemmata agitatione, quo dictum est modo accēsa, μετ' ὧρον gignit quod à recentioribus subdescendēs nuncupari consuevit. Nam incensa aspiratio frigida regionis occursum, dum sursum transilire cōtendit, quia dato obstaculo à medio densiore, frigidiorē & nubiloso disycitur, nonnunquam descendere, alias obiectu nubecula extingui, quandoque donec viam pro data materia percurrerit, occultari, & rursum veluti enatans

tans, emergere videtur: sicuti fieri solet in stellarū apparitione & disparitione, ex transcurso nubis inter nos & cælum substrata. Non sum nescius in eo aeris tractu (medio inquam) raros ignes fieri: in quibus si qui sunt principem locum habent cum fulgetris fulmina: quæ tamen à composita materia fieri & exhalatione non simplici, in nostra Meteorologia paucis ostendimus. Sed quia isthac incendia altè apparent, ideo in media regione aeris locum sibi elegisse indicantur, cum circa illam deerrent potius ac ardeant: **Tertia.** quanquam ibidem fieri posse, obstinate nō nego. Tertia exhalationum species sicca est exacte, et levis admodum, nonnihilque oleaginosa, Solis & stellarū radios motores habēs et aurigantes: à quibus ceu prelongis manibus & ductario quodam fune, tam celeriter rapitur, ut vix Pegasus quivis quantumcunque expeditus fuerit, illam non dicam assequi, sed ne semestri quidem itinere viam tantam, ut postea ostendamus conficere ægre possit: usque adeo à terra distat. Unde nisi desuper auxiliares haberet stellas evanida sua natura, & sane quàm fragili tam altè longèque per medios hostes nimirum per mediā regionem aeris frigidissimam haudquaquam abiret: etiā si subsecundarios halitus, & alios successiue impellentes tibi cōcedam. Penetrat itaque via citissima, & sensum om-

nem

nem exuperante fumidus hic halitus iam positas aeris regiones duas, donec supremam calidam, raram, leuem, & naturæ cognitione ei admodum affinem, attigerit, agentique caelesti vehiculo insitam pernecitatē, locum illi destinatum petiuerit et ut simile ad simile confugerit. Vbi ab innata prōptitudine, loci natura, mutuo impulsu, ætheris vicinia, congenito motu, & ignium caelestium energiea ubique presente ac propinqua, modico negotio, quod potestate ut diximus, flamma sit, faciliè incenditur, ac longè latèq; pro congestorū quantitate & qualitate micat ac luceſcit. In quam rem Iouiani Pontani, poeta, oratoris, philosophi, ac astronomi præstantissimi, elegantes versiculos audire graue tibi non erit.

Supremæ regionis aeris, et ibidem versantis exhalatiōis natura,

*Ast ubi summotōsq; locos (inquit) atq; aera summū
Halitus inuasit quā circumuoluitur orbi:
Hic rapido impulsus cursu, vertigine & ipsa
Incensus, varia splendet per inane figura:
Arida concipiunt ignem, feruetque agitando
Spiritus, incendit pignantia corpora motus.*

Pontanus in suis Meteorolog.

Acta itaque eò loci halitiosa materia, flammam (quæ Aristoteli nihil aliud est quā sicci spiritus ardor) promptissimè adit, ac furtim admittit: pro cuius

Arist. met. I. cap. 4.

D ius

ius qualitate, quantitate, & natura, varia in summo aëre φάσματα, & ardentes imaginum formæ diuersæ, nobis qui inferiorem hunc terræ globulum oneramus, statim anni temporibus, pro soli & celi cuiusque ratione obijci, offerri que solent, quemadmodum postea audies. His positis, reliquum est ut incensa in aere spectra aliquot cum suis nomenclaturis & propria generatione, apposito etiam num loco, paucis, & dilucidè, ut reliqua, tibi expediam.

Quæ in aere generentur ex aspiratione ignea, cum aliquot incensarum imaginum nomenclatura, formatione, & loco ex philosophis ac poetis, iuxta diuersas aeris regiones.

Cap. 4.

Quid ignita
aeris impressio
descendens, cum
his quæ sub ea
militant.

LAtini Aristotelis interpretes, ignitarum impressionum aeris genera duo in vniuersum statuere mihi videntur. Vnum descendens nuncupatum: fortasse quod in humiliore aere fiat, vel quod tantisper dum ardet, deorsum, ob causas antea scriptas, ferri plurimum videatur. Nam ab exhalatione remissius calida & sicca, viscidæque, sic satis, quo dictum est modo, gigni solet: quæ ob leuiculam molem imbecillo calore comitatam, quia in supremum aerem euolare

COMETOGRAPHIAE LIB. I. 27

lure nequit, fit ut in infimum resistere cogatur. Cuius classem & vexilla agnoscunt Dracones volantes, capra saltantes seu vaga, ignis fatuus, stupa accensa, Castor & Pollux siue ignis praeceps, sequens, quandoque stans, & alia: quorum generationem mox accipies. Alierum genus, ascendens dixerunt: non quod sursum feratur dum ardet, sed quod in altiore aere fiat. Si enim valde calida erit exhalatio & sicca, mediam regionem aeris penetrabit, & nisi nubium densitas, aut frigiditatis magnitudo obstiterit, etiam in supremam transiliet: ibique accensa, faciet ut statim audies, aut ignem perpendicularem, pyramidalém ue, seu lanceam incensam, hastam ardentem faciem ignitam, trabem flagrantem, clypeum, columnam, turrem, bolides, candelas & his similia. Quorum omnium efficiëntem causam vnà cum materia pones eandem, sicuti antea demonstratum est, statuésque solam differentiam in formae dissimilitudine secundum materiae inaequalitatem & diuersitatem in primis & secundis qualitatibus. Quibus etiam licebit addere positum & multitudinem. Sed quarundam generationem tibi expedio. Ignis perpendicularis cum pyramidalis in hunc fit modum. Quando calida materia & sicca, bene coherens multum habet terrestre, quod in ea lenius erit incensum, subsidente graui e-

Ignitaaeris im
pressio ascēdēs
cum sua classe.

Ignis perpēdi
cularis & pyra
midalis.

Dij qualiter

qualiter attolletur in pyramidis formā. In quo si materia à calore, ut sic dicam, dilatabilis, basim cum latitudine minùs ostentabit, ignis perpendicularis edetur. Si vero terreſtre paucum erit, ac portiones subtiliter æquales habebit, exhalationis fundamentum nō dilatabitur, quin potius reliqua pars subtilior & calidior æqualiter à basi aſcēdet, accenſaꝫque veluti haſtam aut lanceam efficiet. Quod ad lampades attinet, faces, candelas et ſimilia, in ſuperiori parte ignis pauxillum ſplendescit, ſub materia inæqualitate ſibi vicūque coherente: nam infrā, partes craſſiores habet, ſuprà verò tenuiores. Vnde quod leue eſt, tātisperdum ardet, ſurſum abit: quod verò graue & terreſtre, deorſum reſidet. Verum enimvero iſta ſicuti & alia huius pluuiæ fere omnia, acutum quiddam habēt in ſummitate inſtar mucronis, propter calidū quod ibi eſt ſubtiliſſimum & fortiſſimum, quemadmodum in omni igni fieri ſolet. Bolides & iacula flammeum in aere ſulcum deſcribere videntur, ſiuntque ex materia rara, & non bene compacta, longa & parūm lata: qua in vna parte incenſa, facile & celeriter ad omnes alias ignem tranſmittit, mentiturque iaculum ab vna parte in aliam tranſcurrēs & volitās. Trabes, quas Græci δόρυς nuncupant, ſic gignūtur. Cū materia inæqualis, hoc eſt alicubi craſſa & denſa, alibi

Lampades, faces, candelæ & ſimilia.

Bolides & iacula.

Trabes.

COMETOGRAPHIAE LIB. I. 29

alibi tenuis, rara & levis, sed tamen inflammabilis, sursum mittitur, fit ut prior pars accensa, frigidi aeris contactu, & vicinia, per caliginosam noctem depressa, instar trabis cernatur. Sed si exhalationis longitudo in partes multas simul & exiguas sparsim disseminabitur, & latitudo una cum crassitie consimiliter se habebunt, tum fient quae vulgo creduntur vage stellae & discurrentes. Quod si longitudinem latitudinemque habuerit succensio, fiet ceu flamma collucens, qualis in aruis ab incensis calamis & ardente farre visitur. Si longitudinem duntaxat admisserit, fient quos vocat torres. Si in longitudinem magis quam latitudinem porrigetur, quasdam veluti scintillas ardendo despuens & priore parte ignem obiter excipiens, capra saltitans nominabitur. Draco infra mediam regionem aeris tum gignitur, cum exhalatione circumstant duae nubes, calida una, frigida altera: quarum hac exhalationem ut contrarium a se depellit, illa vero ut simile attrahit: ex quo fit flexus in postrema parte, densitas in media, & fumosum nescio quid in prima qualis est Draconum halitus. Quod tum contingit cum ad mediam exhalationem nondum accensam, prima pars iamiam ardens festinat: quae ideo crassior apparet, quia vicinum lumen in opaca materia admittit, sicuti postrema exilior, quia extin-

Vagæ stellæ si
pule ardentes ea
lami, et similia.

Torres & ca
pra saltitans.

Draco volans.

Clypeus ar-
dens.

Castor &
Pollux.

etioni vicina admodum est. Unde propter eandem
causam incuruatur: ut interim taceam quod à frigi-
da nube impellitur, & à calida attrahitur. Clypeus
sursum ardens fit quando exhalationem itidem cir-
cunstant nubes duæ, calida scilicet & frigida, quarum
hæc exhalationem tanquam hostem à se abigit, illa
ut simile allicit. & quia in medio halitus densior est,
in extremitatibus verò rarior: idcirco dum inceditur,
extrema lambit, apparétque medium ob ambiens lu-
men, veluti cauum & depressum. Quod ad Græco-
rum *πολύδενδρον* attinet, Latini Castorem & Pollu-
cem nuncuparunt, recentiores ignem præcedentem et
sequentem, propterea quod nauigantibus aut iter fa-
cientibus talis sæpenumero conspiciatur. hanc in præ-
sentiærum à me generationem accipies. Ad infimam
aeris regionem perlatus fumus pinguis, vinctuosus ac
inflammabilis, à frigiditate aeris nocturni facile cogi-
tur, & de concursu duarum contrariarum qualitatum
quæ inter se luctantur & pugnant, incendium prom-
ptissimè excipit. Nam exhalatio calida est & levis,
nocturnus verò aer frigidus et crassus. Quæ duo tan-
tis per concurrunt & velitantur, donec ab agitatione
flamma fiat, quæ ob gravitatem & vinctuositatem nõ
procul à terra, pileis, arboribus, nauium antennis &
rebus alijs sæpenumero figitur et hæret: ibi tandiu re-
sident

fidens, quousque incendiū materia omnino cōsumpta
 erit. Ignēs isti quoties gemini apparuerunt, ab anti-
 quis (quod omnem tempestatum materiam absum-
 ptam esse testetur) salutare sunt existimati: si simpli-
 ces & solitarij, contrā: quod regionem in qua visun-
 tur materiā tempestatum altrice abūdare portendāt,
 & tunc Helena dicuntur, de quibus sic apud Senecā:
 In magna tēpestate, inquit, apparent quasi stellæ ve-
 lis insidentes, adiuvare se tunc periclitantes existi-
 mant Pollucis et Castoris numine. Spectantur (ut au-
 thore est Plinius) saepenumero in nocturnis militū vi-
 gilijs, ceu vocali quodam sono militaribus armis insi-
 dentes, & ut volucres sedem ex sede mutant. Præ-
 terea in templis et aris, quoties cadauer in eis locatur:
 vocem humanam pro ardentis materiae qualitate,
 impressione, & crepitante flatu quandoque mentien-
 tes, quæ res multis imposuit defunctorum animas es-
 se, eo igne sese expiantes & purgantes: qua in re alijs
 philosophandum per me liberum planè esto. Appa-
 rent in aere etiam Chasmata seu hiatus & voragi-
 nes, quando ignis veluti disrupto calo deorsum cade-
 re videtur. Quod tum fieri solet, cum multi fumi sicci
 sursum resident, qui accedente levi aliqua occasione
 ignem concipere sunt habiles & propter raritatem
 tenuitatēque citò deflagrare, variāsque formas ac
 colores

Hæc à nautis
 quotidie obser-
 vantur.

Helena.

Voces ab igni-
 tis spectris mē-
 tiri.

χαύματα.

Chasmatum
formæ variæ
& colores.

Σέλας.

Vide Vitell.
perspect.

colores excipere, pro loci & materia diuersitate & natura: nam si in densam nubem ipsum incendiū ceciderit, tum recessus effossa in orbem spelunca similis apparebit: propterea quòd densæ nubis occursum, quæ fulgorem sub atra specie circumdat, efficit vt aliqua in igni esse videatur veluti hians profunditas: quod si nubes ipsa nigra erit, tū flāma cū profunditate rubicundior videbitur. Nam atrum cādido permistum, vt est flamma crasso fumo, colorem præ se fert rubicundum, vel illi proximum: id quod in stellis per fumum aut caliginosum aerem visis, experiundo discēs. Si verò flamma ipsa per clarum aerem vel per tenuē nubeculā spectabitur, albicabit. Vnde Græcis σέλας, hoc est iubar & lumen, ob id nuncupari consuevit. Cæterum hic omittendum non est, quod ex ignitis hiatibus, quemadmodū adnotauerunt Peripatetici, ardentē lampades, torres, & titiones excidere plerūq; sunt visi. Cuius rei causa esse potest in exhalatione illorum materia: quæ ob reuerberationē, aut alio quouis modo, facile incenditur, & flammam nigro contrapositam despuīt, ac apparentem magis habet. Nam flammeum vt etiam album nigro obiectum conspicuum magis est, quàm si per se, & sine huiusmodi obiectione videretur: ratio ex Optographis & Philosophis est petenda, à quibus discēs, opposita iuxta se

COMETOGRAPHIAE LIB. I. 33

*æta se posita sensibilia esse, quàm si solitaria iaceret. Reliqua æris incendia & ignita illius spectra, quæ innumera sunt, iuxta præscriptos modos fieri tibi persuadebis. In quibus materia multitudo & paucitas, ad hæc æqualitas vel inæqualitas, cū positione ac figura solam differentiam statuet. Aristoteli vno nomine omnia hæc, ἑπικύματα inscribere visum fuit. quæ tempore sereno per noctem plurimum, & sub v-
 trumq; crepusculum (quibusdam etiam interdiu) vi-
 deri solent: fiuntq; sub globo Lunæ omnia in vastissi-
 mo æris campo, figuram vnā in aliam plerunque
 commutantia, & per aerem incerto motu vagantia.
 De trajectionibus et ignitis iaculationibus, sub finem
 libri secundi fusissimè scribam, non prætermis-
 surus quæ ad illarum portenta attinebunt: quæ propter in eū
 vsque locum, ne perturbatè omnia misceam & con-
 fundam, te mihi facilem cum patiētia præbebis. Sed
 è me obliuiosum, penè præterierā quod minimè opor-
 tuit. ignes omnibus fere familiares, et quos fatuos nū-
 cupant: quorū generatio ab eo quem præcedentem &
 sequentem, seu Castorem & Pollucem suprā inscrip-
 sissimus, parum aut nihil differet. Horum flamma su-
 per terram pendula, nocturnos viatores impulsæ æris
 motu, quem aurigam habet, micando præcedere, cir-
 cūstare, sequi, & igniti infantuli sese subinde moti-*

Quo tempore
 spectra æris
 ignita perspi-
 cua sunt.

Ignis fatui cū
 illorū pictura.

E tantis

Ignis fatuus
vnde nomē ha-
beat.

Vnde à fatuo
igne perdatur
multi.

Quibus in lo-
cis appareant
fatui ignes.

tantis figuram mentiri, semel atque iterum mihi est
visa. Quae res spectrorum huiusmodi nomenclatori-
bus, ansam (si nō valde fallor) præbere potuit, ut ignis
fatuus, φάσμα hoc inscriberetur. Nisi fortasse dicere
maius, quod fatuis & rerum naturæ imprudentibus,
pusillique animi hominibus nocturnis in tenebris ad
stuporem usque et λιποθυμίᾳ sæpenumero imponat:
adeo ut multis in foveas, stagna, paludes, puteos, lato-
mias, fluuios & alia præcipitia, inopinatum, per eam
animi consternationē, attulerit lapsum præsentē mor-
te exceptum: eò scilicet rectā tendentibus, præ labore,
vel æstu sitibundis equis: quibus per ebrii sessoris, vel
alio quouis modo perturbati hallucinationem, eundi
quod vellent libera facta fuerat potestas. Ut interim ta-
ceam, quod densissimis in tenebris, ad motum aëris
ab equo aut viatore impulsī, quā tenditur, velit nolit,
ob leuitatem ire cogitur præuia hæc ignita impressio.
Quare fatuos à fatuo igne hallucinatos et misere per-
ditos non paucos, accepimus: quosdam vidimus &
nouimus. Sed hæ infirmarum mentium sunt præsti-
gia, & parum constantis cerebri terriculamēta: quæ
plurimum apparent circa patibula, cæmiteria, coqui-
nas, ædes sacras, & alia vliginosa ac viscida loca: in
quibus faculentus, putris, igneus, crassus & oleagi-
neus halitus multus transpirare consuevit. His addē-
dum

dum est quod ignita hæc impressio cum sua imagine, voces humanas sub insolito quodam sono interim dum ardet (ob causas antea scriptas) mentiri plerumque solet. Quod etiam ad alia spectra incensa accommodabis: cauebisque ne cum rerum natura imperitis voces illas, vel in calo esse, vel illinc manare (quod sensus distantiam non percipiat) temere existimes, aut animas defunctorum vel aërios spiritus credas, de quibus per occasionem alio in loco tibi philosophabimur. paucula itaque hæc de multis in presentiarum satis erunt. Nam omnia trium regionum aeris incensa simulachra, cum his quæ illa canomittitur, hic describere mihi non sumpsi: per arduum enim esset ac difficile, et penè dixerim factum vix possibile, cum noua subinde exoriantur et emergant, quemadmodum in rerum mundi vniuersitate alia permulta, priscis incognita. Ut ut erit quia istorum ignium causas philosophus intelligit, idcirco illos, ut vulgus ignarum non suspicit, nec admodum stupet. Quanquam non sum nescius haudquaquam temere fieri, ac naturam nihil frustramolari. Ad hæc ista præter physicas causas quas ubique in materia scrutatur philosophus, ingentium malorum presentium aut futurorum cum suis imaginibus sæpenumero prænuncios fuisse. Vnde non solum à poetis et historiographis, verumetiam ab astrorum peritis

Superstitiosa
multorum credulitas.

Ignita aeris
spectra haud
temere fieri.

E ij inter

inter signa reponuntur, sed obscuriora quã quę à stellis emergunt. Sed istarum rerum exempla aliquot, ex umbra in apertum tibi proferam, modò placidè mihi concesseris ista plerumque à mète diuina architectari, & propterea diuinum aliquid & abditum (quẽ admodum de morbis scripsit Hippocrates) habere. Quãquam morbi suam, vt ita dicam, diuinitatem aliunde possunt agnoscere. Sed poetarum testimonia, quod ad commemorata aëris incensa quouò μὲν pertinet, in medium proferre iucundũ erit. Pro quibus meteorologica vna Iouiani Pontani poetę doctissimi, Vrania satis esse, imo verò accuratissimè respondere poterit. Hanc itaque disertè suo more loquentẽ, si placeat, audiamus: & ignitas impressiones aliquot ex simili aspiratione sub varia imagine prodeuntes, adpositis etiamnum causis placidè excipiamus. De halitu itaque hunc in modum loquitur.

Ergo aut est partes aequè diffusus in ipsas
 Et lato arefcens incendia suscipit orbe,
 Lampadis in faciem, quę plurima nocte refulget
 Ante deos: aut in latus inclinante figura
 Contrahitur, magis hinc inde altera prominet ala:
 Vt crassum aut credas lapidẽ, aut ignescere trũcum.
 Ipse quidem dextra pellem trahis, illa trahentem
 Iam sequitur protenta manu, sed parte sinistra

Subtra-

Vide Fernell.
 in lib. de abd.
 rerũ causis.

COMETOGRAPHIAE LIB. I. 37

Subtrahitur, quâdq; hac accedit, demitur illat:
 Hinc titubant duplexes sub iniquo pondere lances.
 Aut sparsim fusus rapidôq; abreptus ab igni
 Scintillantem animam vomere atq; efflere videtur.
 Ut quando in stipulis furtim vagus incidit ignis,
 Huc illuc dispersa volant incendia, nec se
 Miscet flamma, salitque leues perferuida calmos.
 Sed neque tam tenuis terrarum est halitus, ut non
 Et densas habeat fumoso in corpore parteis:
 Quæ sursum raptæ totôq; volumine misce
 Densantur, seu in ærium se tollit acumen
 Consurgens, grauiora suo se ordine ad imum
 Detrudunt, donec cunei sub imagine flammam
 Concipit, ex rutilus micat inter sidera conus.
 Interdum longam erectus consurgit in hastam,
 Parte leuis, parte obducta caligine densus,
 Non tamen ut maiora trahat vestigia cauda,
 Nunc iaculi in morem validus quod torserit hostis,
 Nunc quales splendent lychni laquearibus aureis:
 Nunc qualis tenues ignescit stuppa per auras:
 Nunc flectit sese in spiras, formamq; Draconum:
 Nunc micat, ut celeri fallantur lumina sensu:
 Nunc cadere ut timeas ex ipso sydus Olympo:
 Sape etiam torrem ambustum rutilante fauilla
 Cernere erit, calumq; cauo se scindere hiatu.

E iij

Tum

Tum, cum sub nocte obscurâ atque in nube profunda
 Nigrescit vapor, & permultum cœcula fumant
 Fomenta, trahit & subitam vis ignea flammam.
 Illic & è medijs tenebris, fumòq; frequenti
 Erumpit flamma & calo se fundit aperto
 Ut timeas noctem ruere, atq; fatiscere Olympum:
 Prasertim cum præcipiti vertigine torris
 Excussus cadit, atque cadens nigrum aëra findit.
 Flamma etenim cum cœruleo se miscuit, & cum
 Lux atro insinuat, penetratq; immissa profundo,
 Tum nubes patet, & lato se soluit hiatus,
 Luminâq; ipsa imum subeunt admissa recessum,
 Ac patefacta cauo pandunt sese abdita tractu,
 Aeris hac partim media regione feruntur:
 Aestiferis partim in campis, regione suprema,
 Qua cœli vertigo agitans rapit, unde coruscat
 Tractum flamma rubens, atq; ignea fulger imago.

Hactenus Pontanus, què hic propter philosophi-
 cam venustatem de omnibus citare proferreque vi-
 sum fuit: à quo, ad alia te deducimus ac renocamus.

Ignita aëris spectra antiquis aliquid præ-
 saguisse & ostendisse. Cap. 5.

ignes per aërē
 sparsi.

SParsi per cælum ignes multi, anno decimo tercio
 secundæ belli Punici, Cn. Servilio Cepione, &
 Cneo

COMETOGRAPHIAE LIB. I. 39

Cneo Seruilio Genuino Cos. visi sunt, cum Scipio in
 Africa iuxta Vticam Pænorum castra attriuit. Et Cæli pars ma-
 cæli pars magna flammam edere, Spur. Posthumio, et gna ardere.
 Quinto Seruilio Cos. cū annus tam hominibus, quā
 pecori longè pestilentissimus fuit. Lancea duos et tri- Lancea incensa.
 ginta dies continuè per aërem exarsit, Publ. Aphri-
 cano, & Lelio Cos. paulò antè quàm Chartago ab
 Aemiliano Scipione dirueretur. Ignes homines, ut au- Homines ignei
 thor est Plutarchus, per aërē inter multa ostenta voli-
 tare sunt visi, ante diem Caesaris cædem, qui primus
 orbis monarchiam tyrannidēque est adeptus. Mi-
 litares hastæ ad multam noctem in celo cremari sunt Hastæ mili-
 visæ, Agrippa Menenio, et Publ. Posthumio Cos. bel- tares.
 lum in Sabinos gerentibus. Lampades & faces me- Lampades, fa-
 ridiano tempore Germanico Cesare gladiatorū spe- ces & iacula.
 ctaculū exhibēte, prodigiosè ardere ab omnibus spe-
 ctata fuerunt, ut etiā iacula in bello Mutinensi. Præ-
 tereo flammiferas trabes, quales peperit aër cum La- Trabes.
 cædemonij classe victi, Græciæ imperium amiserunt.
 Et qualem se vidisse etiā testatur August. Nyphus
 tempore quo Hispani iuxta Cassinum Gallis oppo-
 nebantur: quæ admodum incensa quia contra Gallo-
 rum aciem excurrit, idcirco illius iacturam portedit.
 Prætereo & candelas Gneo Cecilio, & Gneo Papy- Candelæ.
 rio Cos. visas. adhuc Clypeum ab occasu in ortū scin- Clypeus.
 tillante

tillante admodū igne transcurrētem, Luc. Valerio & Gneo Mar. Coss. *Quaeis adnumerare nihil pigebit*

*Acies ardētes
et ignita arma.*

acies ardentes, & ignita arma, qualia tertio cōsultu Marij à Mamertinis & Tudertibus spectata fuerunt, ab ortu, occasuque concurrentia. Insuper flam-

Turris flāmea.

meā turrim, qualis de cēlo cū magno fragore cadere visa est, cū Turca circa annum millesimum supra duodecesimum Hierosolyma expugnarūt. Quid am-

Naues ignitae.

plius? vis ignitarum nauium figuras & imagines, quales in aēre apparuerunt Cneo Serulio & Cneo Flaminio Coss. cū à Romanis ad Trasimenum lacum plaga luctuosa accepta est? Vis cruces flāmātes

Crūces flam-
mifera.

qualē in Anglia haud pridē à sua memoria Polydorus Vergilius visam fuisse scribit? Vis Chasma ingēs

Chasma ingēs.

per Germaniam anno sesquimillesimo supra nonū et vigesimum, ab oriente in septentrionem ad occasum estiuum discurrere à multis prospectum? quod statim post, secuta est Turcarum irruptio in Germaniam.

Quid, quod Sisippo Syracusas petenti visa est stella ardens super eius lanceā constisisse? Quid, quod Ca-

Stella ardens.

stor & Pollux in Lysandri naue, vtraque ex parte steterunt, & quo tempore ad portum erumperet sydera clauo circumluxerunt? Hic omittam diadematā, serpentes, enses, sceptrā, infantes et similia de diligenti antiquorum lectione tibi cognoscēda: nam mihi

Castor & Pol-
lux.

potius

COMETOGRAPHIAE LIB. I. 41

hi potiùs hic verba quàm exempla deessent. Ex his itaque abùde mihi satis erit si ostendero verissimum id esse quod ad Augustum Cæsarem olim scripsit Marcus Manilius rerum celi et naturæ philosophus si quis alius inter poëtas, ad vnguem, imò verò ad omnem amussim factus.

Marc. Manilius
in suo Astron.

Ne mirere (inquit) graueis rerumque, hominumque
ruinas,

Sape domi culpa est, nescimus credere calo:

Nunquam fuit libus ex canduit ignibus aer.

Sed antè quàm partem istam tibi claudam, admonuisse absurdum non erit, quòd ignita ista aeris spectra, si frequenter & longo tēpore sub ingenti corpore sese proferent, præter alia multa (de quibus postea) etiam regnorum mutationes plurimùm significabunt, maxime huius climatis in cuius aëre exardescunt: quemadmodum in suis ast:ologicis Aphorif.

Regnorum mutatione
vel potius
regum.
Aph. 98.

ad patriarcham Constantinopolitanum scripsit Ludouicus de Rigijs, & nos per occasionem sequenti libro fu-
sissimè demonstrabimus.

F

Qua

Quæ Cometarum causa efficiens, quæ materia, & quomodo procedat illorum generatio: adhuc vnde in eis cauda & capillamentum.

Cap. 6.

Hic tria ex superioribus probata, demonstrata, & ab omnibus philosophis confessa, in sequenti elucidationem & subfterniculum, mathematico more, tibi ponam & pronuntiabo. Primum est, sub sphaera Luna ignem elementarem immediate, ut loquuntur, iacere & sterni: atque ab huius vicinia & celestium corporum (consentiente motu) supremam aeris regionem illi contiguam calere. Secundum, cum dicto ignis elemento quatuor & viginti horarum lapsu perpetuo, ad summi orbium revolutionem eundem aeris tractum ab ortu in meridiem per occasum semel citissime circumduci. Idque motu non omnino naturali, sed qui de alterius corporis motione ob loci familiaritatem, ductum, viciniam, contactum, & naturarum participationem facile sequatur. Tertium, aestuosam, aridamque & oleagineam aspirationem, e terra vrgente celo sursum missam, pro materia & motus natura, nec non elementaris ignis, atque radiorum celestium energetica ac propinquitate, ibidem facile incandescere & in flammam expeditissime verti. His positis,

statuo

Tria ex quibus
pedit tota Co-
metarum ratio.

COMETOGRAPHIAE LIB. I. 43

statuo Cometis à parte agentis seu effectricis causa
mouens præcipuum & primarium, calî virtutem ac
stellarum particularem efficaciam, ad actum ma-
teriam euocantem: qua spirante & pulsante, nemo
est qui nesciat ex corruptibilis mûdi huius mole qua-
licunque, fomentum alendis crinitis peropportunum
appositè sequestrari, & quoad eius fieri potest, via
indicibili, vt ignis citissimè fiat, cæloq; subseruiat mo-
dico negotio cum innata præptitudine elaborari. Cur-
ius semina vbique permixta esse & confusa, philo-
sophantium poëtarum Corypheus Mar. Manil. his
versibus facile persuadebit.

Quæ cometa
rû causa effe-
trix, mouens
& primaria.

Sunt (inquit) cunctis permisti partibus ignes:
Nam grauidas habitant fabricâtes fulmina nubes
Et penetrant terras, Aethnâmq; imitâtur Olympo,
Ac calidas reddunt ipsis in fontibus vndas,
Et silice in dura, viridiq; in cortice sedem
Inueniunt: cùm sylua sibi collisa crematur.

Astron. lib. 1.
cap. 9.

Deinde concludit,
Ignibus vsque adeò natura est omnis abundans.

A quo si quis dissentit, Helleboro potius est pur-
gandus quàm docendus. Agit itaque pro Cometis in
hæc inferiora calum, illis non quiduis, sed quod com-
modum est, & essentiae similitudine amicum de ab-

F ÿ iectissimo

iectissimo telluris globulo seligens. Quod extra natura economiam haudquaquam possum esse, fidem faciet Academici: quibus in hac sublunari rerum vniuersitate nihil esse traditur, quod celestis teporis & vitalis animalisq; spiritus (in quo magnum illud natura seminarium) aliquo modo particeps non sit: magis minus, pro varia corporum natura, ordine, & ut loquuntur, merito. Idque via omnibus omnium faculorum oculis caca & abdita, sed tamen vi caligante, & tacita corporum superiorum cum inferioribus harmonia, perspirabili, & de rerum generatione, occultisque illarum facultatibus ac miraculis utcumque subodorata. Quod Plotinus Platoniorum summus, & ante illum ter maximus Hippocrates expressisse mihi videntur: omnia in omnibus esse distinctas: in infimis suprema, & in supremis infima, modo tamen diuerso. Sed de his alibi. Causas alias cometarum effectrices de sequentibus ex Astronomorum placitis accipies. Itaque hic superest, ut physicam illorum materiam paucis tibi expediam. Materialis Cometarum causa, est ipsa arida aestuosaque aspiratio, Solis & stellarum energiea, quasi vehiculo, affatim (ut antea scripsimus) è terra sursum acta. Quae ubi viam semel est adepta, summa continenter petens, pabulum cometario incendio idoneum sufficit, nonnihil, ut habet

Aphro-

Celestis spiritus & viuifici teporis nihil non particeps.

Cometarum materia, modus et generatio.

COMETOGRAPHIAE LIB. I. 45

Aphrodisius oleaginosa, & ex Aristotele vitumque compacta: quò dissipationi sui diutius resistat, et crinitis nutrimentum cōstantius praebeat. Quod Festum his versibus inclusisse audies,

*Diros (inqui) fama Cometas
Commemorat tristi procul omnes surgere forma:
Vultum ardere diu: persundere crinibus aethram,
Sanguine sub pingui, rutiloque rubere cruore.*

Dicta haec materia ubi ad ignea regionis confinia, caelo monstrante viam peruolauit, sicuti flammā & incendiū, ob enumeratas prius causas, faciliè admittit, ita paucis diebus, longè lateque pro sua natura & mole emicat: fitque, vt Politiani vtar verbis, iubar pertriste Cometa. Quae materia quia vi stellarum excitatur, & sursum pertrahitur, temperamentumque à caelo accipit, hinc non levis coniectura sumi potest, quòd Cometa peculiari motu ab aliqua certa stella (vt inferius ostendemus) reguntur ac trahuntur. Nam hic materia non sponte, aut casu sequitur, sed ob cognatam aliquam qualitatem ab ea stella ortam cui obtemperat: de quibus rebus postea. Ergo aridi halitus cometarum materia erūt quos pauciores primū & rariores sursum coaptari imaginaberis: postea vero confertim ascendente multitudine addensari, ac

Cometae peculiarē habēt motum ab aliqua stella.

Quomodo exhalatiōes in Cometae corpus aptantur.

F ii magis

magis magisque oleaginosa substantia, ceu glutino quodam ligante, in longum, latum, & profundum cogi. Vnde ex quo cœperunt crinitæ, in dies fere semper crescere (vt historijs deinceps confirmabimus) ac in immensum procedere spectata sunt: adeò vt quæ pedales primum emicuerunt, postea bipedales, tripedales, octipedales & cœtipedales quandoque visæ sunt: aut, si mauis, pro vna Rodiaci decuria, quã primis aliquot diebus tenuerant, nouem aliquãdo, partes nimirum nonaginta aut si placet, signa tria, in longum excrecendo (hemispherii dimidium) vno aut altero mense etiam excluso motu, aliquoties occupasse: vt interim prodigiosam latitudinem & profunditatem taceam: quòd

*Acta alimenta sinat sursum conscendere tellus,
Materiamque sui deprehendat flamma capacem.*

Vnde tã prodigiosi Cometæ plerunque spectentur.

His addes, quòd tanta copia fumorum, viscosorumque halituum tam prodigiosa moles, calo manus vt sic dicam, auxiliares præbente, sursum cogi potest, vt vnius aut duorum miliarium montem, quemadmodum altero libro ostendam, æquare possit, incendiūque aliquot climatibus faciliè conspiciendum, etiam de remotissimo loco præbere: ac vnius anni Cometam, facta semper noua materie accessione, etiam

in

COMETOGRAPHIAE LIB. I. 47

in siticulosa & lapidosa regione alere. Qualē Iosephus rerum Iudaicarum scriptor elegantissimus, & Eusebius describunt. Supra ciuitatē, inquit ille, sidus stetit simile gladio, & per annum perseuerauit Cometes. Et hic Cometes exitiālibus flammis per totum annum ardere visus est. Reliqua omitto, & ad cometarum incendium redeo, quo inualescēte, & deficientibus alimentis, paulatim ut euanescat cometes, absorbeatūque necessum est. Sed ante quā id contingat, fuliginosa glomeratio, coēundo glutinandoque, inferiore à parte (propterea quod materia ascēsus ab imis ad superiora per vnum aliquod medium sit) quandam quasi comam (à qua cometa nomen traxit) nobis sursum spectantibus porrigit & exhibet: cum re vera tantum sit coalita simulque inherēntis materia tractus quidam longior. Neque enim credibile puto cum Iuliano Pontano circūquaque definitum esse actornatū, quod incēsum est, quin potius præcursus & præminentias habere, à quibus coma & casarici, cincinnorumque (vnde Ciceroni Cometa cincinnata dicitur) figuram præ se fert. Porro hic etiā intellexisse præcium operæ erit, caudam vnā cum coma, substantia à reliquo corpore nihil differre, nisi quod fortasse rarior atque leuior existit. Vnde propter raritatem remissius lucere, ob leuitatem verò sursum

Lib. 7. bell.
Iud. & eccles.
hist. lib. 3.

Coma & capil
lamentū in cri
nitis, vnde.

Cometarum
cauda.

sursum tendere, ac faciliè moueri spectatur. Cuius figura quia teres plurimum esse consuevit, idcirco aut cylindroides, aut conoides plerumque apparet. Sed de his postea per occasionem fortasse fusiùs.

Cur quotannis Cometæ non appareant,
& in quibus annis potissimum à cælo & stel-
lis promittantur. Cap. 7.

Quæstio ad
modum ardua
& difficilis.

ARgutulus quispiam hinc fortasse sic insurget. Cùm
semper terra, semper Sol, semper stellarum mo-
tus & energia, in rerum vniuersitate locum habeat
sitque semper elementaris ignis, & aeris summa re-
gio, cur quotannis non fiunt Cometa, cùm etiam hu-
ius plumes præterea non pauca, in edito aëre statis an-
ni temporibus passim gigni deprehendantur? Hæc
scire cùm Meteorologici magnoperè non intersit, ta-
men ut philosophia pariter ac astronomia candida-
tis faciã satis, rem eam in hunc modum utcunque ex-
pedire aggredior. Rerum celi interpretes quampluri-
mi Chaldaei, Graeci & Latini, generales Cometa-
rum causas statuere mihi videtur luminarium Ecli-
pses: quoties dominatores, vel hospites habebunt Mar-
tem & Mercurium, ob retorridam vtriusque natu-
ram, maxime in signis igneis: adeo ut sine illis Co-
metas

COMETOGRAPHIAE LIB. I. 49

metas vel factos fuisse, vel visos, agrè admodum fateatur. Quibus nos cum plerisque alijs omnibus tam libèter subscribimus, quàm de libris, & diligenti philosophorum lectione (comite vbique experientia) sedulò didicimus, ac nouimus, æstus, aquarũ inopiam, bella, ventos, pestes, & his similia sequenti libro particulatim excutienda, à Cometis in genere significari.

Quæ singula Martis & Mercurij ἰδιότητις vel ἰδιόμα, vt loquitur Ptol. per omnia, agnoscere planũ est. Iam verò cùm ipse luminarium eclipses quotannis non contingant, vel si fortasse cõtینگunt, Martem & Mercurium, quo dictum est modo, præsides non habent: hinc colligere facile est, cometas quotannis fieri, viderique minimè posse: vt qui effectricem causam vrgentem, ac primariam non agnoscant: qua deficiente aut sublata, effectum vnà etiam tolli, desiderarique necessum est. Non sum nescius Albumazarem scriptorem non omnino aspernandum, negare Martem id posse, nisi etiam præfuerit annis, aut illorum quadrantibus in quibus ipsa eclipses contingent, vel si præterierint, sua intentabunt decreta: aut superiorũ planetarum congressus aderit: vbi alijs dignitatẽ & præstantiam ille idem præripuerit, eiusque radij terrea signa, vel aërea pulsabũt, aut possidebunt, Luna tum in Geminis, Libra, vel Aquario degente, &

Cur quotannis
Cometæ non
fiant.

G

à

Quando promittantur Comete, & à quibus stellis.

Mars & Mercurius præcipui Cometarum parentes.

Ab aliis stellis, quæ à Marte & Mercurio posse significari Cometas.

à Marte mediæ calî domino potentissimè irradiata. Quod à multis recipi probariq; audio, modò in annua mundi conuersione Iouem, Saturnum ue opposito vultu viderit, vel illis coniunctus, aut quadratus fuerit. Quib⁹ ex Babylonij et Punico Ptolemæi interprete adiiciunt, hæc multò certius iudicium habitura, quoties in his eclipsibus contingent, quæ cū sublimiorum planetarum coniunctionibus (præsidente ubique Marte & Mercurio) conspirabunt: eritque alteruter de corpore vel radijs in signis æreïs, vel terreïs. Aut si nulla eclipsis, summorum ue planetarum coitus aderit, quoties in annua cōuersionis themate, ibidem versabitur Luna, etiaminum infeliciter affecta. Id quod præter alia etiam adfuturum tradiderunt nonnulli, quandocunque in annuis profectionibus, oppositio Saturni & Martis, vel eorundem synodus cōtinget, præsertim si Draconis cauda cum illis vel in eodem signi gradu connexa reperietur, aut opposita. Sed in hæc decreta ac si essent prætoria, tam obstinatè nō incumbas, vt etiam ab alijs planetis Cometas fieri non posse tibi persuadeas. Nam deinceps, à singulis singulos, de notis & proprio colore designatos, sicuti conuocari audies, ita experimendo disces. Sed quæ frequentiora sunt & magis vniuersalia hic tibi proponimus: ita tamen vt alijs suum prerogatum nō eripias

pias. Iam dictarum rerū si forte exempla exigis, celestium motuum abacos diligenter & accuratè conferes cum temporum, regnorum, & populorum historijs quæ Cometarum apparitiones, picturam, loca, durationem, magnitudinem, motum & alia ad vnguem descripserunt, quod postremum rarum esse scio. Proferunt eam in rem aliq. alia, quæ ipse cum legèdo, tum audiendo prudenter ad observationum trutinam aliquando reuocare studebis, vt ea de re certior factus, alijs prodesse perinde possis, atque velle debes. Fateor sane rerum istarum dignitatè pessimè, ne dicant indignè, tractatam hactenus fuisse, maiorum nostrorum crassa nescio qua incuria, qui sibi melius esse maluerunt, quàm posteritati. Sed hac, quod dicunt, extra oleam. Ad quæ si videbitur, addes, & superioribus causis connectes, quòd inferior natura, certa quadam mundi lege, sursum abire non semper sinit calidos ac tepentes halitus, quos vt multos intra se continet, ita illis in suarum partium harmoniam qualemcunque (perinde atque humanum corpus) ad statum tempus vititur, & sepius abutitur. Cuius periodum ceu dicta crisi quadam, quoties in stare animaduertit, laxatis hinc inde claustris, vt vegetior fiat, illis sese exonerat, & nouum corporis habitum induit. Sed his de rebus accuratius postea: in quibus nō omittes, quòd quem-

Maiores plerūq; nepotum immemores.

Alia causa cur quotannis nō fiant Cometæ.

G ij admodum

admodum ex ineluctabili omnipotentis Dei decreto Cometa ad triste aliquid significandū in lucem prodeunt, ita pro illius consilio stant, cadunt, ponuntur et deponuntur.

Cometarū ratio, & cur crinitis stellæ nomen adiectum sit: variæq; antiquorum de illis opiniones. Cap. 8.

GRæci κομήτας ἢ τῆς κόμης hoc est à coma dixerunt: nostri, inquit Plinius, crinitas horrētes crine sanguineo, & comarum modo in vertice hispida. Quibus stellæ nomen hinc assutum putabis, vel quòd motu, portentis & alijs, ut postea dicemus, non nihil cum stellis conueniant: vel, quòd re vera stellas esse crediderint antiquorum plerique, poeta, philosophi et astronomi. In quòrum sententiam Peripateticis descendere visum non fuit: cū ob multa, ut in sequentibus ostendemus, tum quòd in cælo neque ardeant, neque ferantur (nisi fortasse cælum pro aëre, poetico more, & quandoque etiam medico, appellare libet) neq; etiam syderis schematismum vlla ex parte admittant & agnoscant. Stellas autem dici volūt, quia ita ignescunt & sursum micāt, ut nobis qui abiectissimam mūdi particulam à cælo sanè quàm remotam habita-

Cur crinitis
stellæ nomen
additum.

habitamus, stelle esse putentur. ob rarum spectaculū, durationē, multiplicē motū, & alia, diuinū aliquid ac planē celeste pra se ferant: vel quod pares fere vires, licet mutuatitias, & (vt scribit Ptolemaeus) secundas, cum stellis in multis sustinere deprehendantur.

A qua sententia, Senecam philosophum extra omnem cōtrouersiam summum, non longē recessisse audies postea. Nam Cometas stellas esse, sibi persuasisse multis videtur. sequitur Hippocratis Coi, vt est apud Aristotelē, et Aeschyli eius discipuli, nec non Diogenis & Apollonij Myndii veterūque poëtarum aliquot et philosophorum opiniones: de quarum multiplici turba, tres tanquā celebriores huc tibi proferre commodum putauī. Democritus & Anaxagoras Cometas, aut si mauis, crinitas stellas, vtrumque natura ουανμίας, ne quem fallam, cum antiquis deinceps vsurpabo) ex materia celesti esse contenderunt: fierique per coniunctionem, seu congregationem, aut coapparitionem quā Graci σύμφορῳ nuncupāt, earum maximē stellarū, quas cum Aristotele, Claud. Ptolem. πλάινας vbique nominat. Quoties scilicet se mutuò illustrant, vel propē degentes, aut alio quouis modo, lumen alternatim fundunt ac refundunt, seque corpore, vel radijs contingunt, ex quo crinitum φάσμα sursum ex radiiorū permissione, coacervatio-

Cometæ diuinum nescio quid habent.

Tres de natura Cometarum opiniones, Prima,

Secunda.

ne & globulo effingunt, cui Cometa nomen est: quasi vnum sit ex multis luminibus sydus solito maius, & comam de radiorum iaculatione, permissione q; hinc inde dispergens. Pythagorici ab his non admodum discrepantes, Cometem materiae caelestis itidem esse putauerunt, fierique ab vna quapiam errantium stellarum, quæ quòd diu solaribus radijs obruta fuisset, & proinde humanis oculis negata, tandem multo lumine grauida, sese prodit, & veluti nouum aliquod sydus, subinde apparens & disparès emicat. Quod Mercurio ex omnibus stellis plerunque accidere tota

Tertia.

personat astronomorum schola. Hippocrates Caus sue Medicinae parens ille fuit, bonorum omnium, vt habet Galenus, nobis author, siue alter qui circuli tetragonismum per Lunulas apud Aristotelem excogitauit: vel alius Coa de gente, magni illius Hippocratis auus, aut nepos, cum Aeschilo discipulo credidit Cometæ corpus stellam esse. Quæ crinita ideo existimatur, quòd radij oculares ab inferiori loco per vnum aërem sursum emissi, ob medium inter nos & stellam caliginosum, faciliè refringantur, & vnde quaque dissiliant. Qui radij quia Platoni et Galeno ob animale spiritum verè æthereum in oculos per neruum opticum distributum, ignei habentur, ideo circa iam dictam stellam, ignitos crines faciliè mentiuntur

tiuntur, & ex tempore confingunt. Reliquas opiniones cum suis confutationibus, quia apud Aristotelem, Senecam, Plutarchum, Georgium Vallam & alios fusissimè sparguntur, et libri ipsi nulli hodie non sunt in manu: idcirco hic cōsultò prætermittendas duxi, ac longum valere iussi.

Crinitarum species, differentiæ, nomina, & imagines ex historiographis & poëtis: Præterea vnde tanta in illis diuersitas, & alia. Cap. 9.

Quia ardentis sursum halitus forma dissimiliter spargitur, ideo variæ ignitarum impressio-
num figuræ ab antiquis, vt dictum est, adnotatæ fue-
runt. Quod ad Cometas particulatim attinet, quia
rarò apparent, ob id diuersæ ætates diuersas formas
illis adscripserunt: tametsi fortassis non vsque adeò
dissimiles fuerint. Cùm itaque figurarum discrimen
in multis sit obscurum, appellationes aliquot ex an-
tiquis hic breuiter tibi recensebo, neglectis accuratis
illarum descriptionibus. Quanquam magna est co-
gnatio inter sese omnium ignitarum aeris impressio-
num. Ex quo fit vt Plinius cum alijs plerisque con-
fundat, & iungat ea quæ ἐπιεικῶς καὶ ὑπερβα-
νὰ

Cur crinitarū
formæ tam di-
uersæ.

Vnde fumatur
omniū impres-
sionū aeris igni-
tarū, discrimi-
na.

terra Græci nūcuparunt, cum his quæ Ptolem. 8. a. r-
terra dixit. Quorum discrimen duntaxat est in mo-
tu, duratione, forma dissimilitudine secundum mate-
ria diuersitatem in caliditate, siccitate, raritate, dēsi-
tate, grauitate, leuitate, multitudine, paucitate et alijs
vt interim non omittā volutationes, distractiones, in-
clinationes, impulsiones à ventis, vel propria natura,
quemadmodum præclare scripsit Aristoteles. Itaq;
sicuti minimè sunt frequentes, ita maximè admirabi-
les crinitarum forma, ex sola figura ardentis halitus,
vt philosophicè loquar (nam Astronomi aliter) emer-
gentes. Quod duobus versiculis eruditè (vt omnia) cō-
plexus est Pontanus.

Quæ facies (inquit) quæ forma etiam, qualisue fi-
gura:

Talis in aërio perlucet vertice flamma.

παρανίας.

κομήτης.

Hæc si in longum exprorecta erit, in vnā tan-
tum partē decurrens, παρανίας seu barbata stella di-
cetur. ad quam longiores omnes ignita figura, per ap-
positè et accommodatè referri poterunt. Si æqualiter
vbique accensa, et circa vniuersum corpus equalē
sparget ignem, Cometa propriè et speciatim dice-
tur, pro eo cuius crines quaquauersum rotūda forma
distribuantur. A cuius typo quotquot degenerabunt,

ΚΩΤΑ-

COMETOGRAPHIAE LIB. I. 57

αταχρυσινός Cometa censebuntur. Caterum particularia discrimina sumentur à figura magnitudine connexionem, colore, proportionem flammæ secundum varios gradus & alijs antea passim connumeratis: nō quo ad incensionem & materiam, quæ duo in crinitis omnibus eadem esse intelliges. Quamquam inficiari nolo, alias plus alijs materia sæpenumero habere, alias minùs, alias æquabiliorem & magis coherentem, & contrà, pro cuius differentia compage & modulo, varias formarum & imaginum diuersitates nobis præ se ferunt crinita. Quibus etiam addere liberum tibi erit partium structuram & aptationē, pro materiae mole & natura vnde coaluerūt. Ex quo factum videas vt aliæ alijs maiores sæpenumero appareant: aliæ minores, aliæ grauiores, aliæ leuiores, longiores, breuiiores, crassiores, graciliores, rectiores, obliquiores, & figurae alterius. Nec tam ob incendiū, vt diximus, causam, quàm ipsius aspirationis materiā quæ quia est huius aut illius quantitatis & qualitatis, ideo hæc vel illa in summo aëre effingit simulachra. Quorum differentias historiarum scriptores, literis fidelibus antiquitatis custodibus, ex multis aliquot, cum portentis quæ illas fere semper comitantur, longa seculorum observatione nobis, quasi per manus reliquerunt. In quibus sunt Acontia in iaculi (à quo

Cometarū particularia discrimina à quibus formarū varietates.

Incendii ratio in omnibus crinitis eadem, vt etiā materia.

Cometarū species ex Historiographis. ΑΚΩΤΤΙ' αλ.

H

nomen

nomen habent) similitudinem tenuiore forma, sed longiore, ocysimo significato apparētes. De quibus Tiborius Imperator quinto suo cōsulatu, ut testatur Plinius, præclaro carmine scripsit. Ad quarum picturam Iacobus Milichius, in secūdum Plinij interpres doctissimus, eum Cometam referendum censeat, qui anno post natum Seruatorem millesimo & quingentesimo supra tertium ac trigesimum, in Germania apparuit. Sunt & Xiphia, ensis fastigiato mucrone figuram (à qua Greci illis nomen indiderunt) præ se ferentes, & gladij nitore absque ullis radijs pallentes. Qualem Marco Anto. & Publ. Dolabella Coss. excanduisse ferunt, quum ciuile bellum inter Octauium & ipsum Marc. Anto. exardere cepit. adhæc quum Iudaicum excidium instabat, quo vix vllum horribilius exempli atrocitate in omnium historiarij libris reperies. His adiūciūt Ceratias seu Ceratidas, in quibus coma ad figuram cornu fit reflexa. Qualis emerfit cūm Græcia apud Salamina depugnauit. et Xerxes in Græciam traiecit. His adnumerat Plinius & Lampada, quæ ardenti faci similis est. Insuper Hippea, seu equum argenteum: qui à recentioribus etiam Rosa dici solet. Insuper & discus, figura rotunda: alij alia, quorum omnium varietates, diligens lectio, & temporis filia obseruatio affatim suppedi-
tabunt

Ξιφίαι.

κερατ' αἰχὴ καὶ
κεράτιδες.

λαμπάς.
ἵππεύς.

Rosa.

Discus.

tabunt, ac tenuem nostram inopiã, profusa copia p̄-
 sabunt. Sed Marcum Manilium, de Crinitarum &
 ignium aëriorum ratione & differentijs poëticè dis-
 ferentem, antequam partem istam tibi claudam au-
 dire graue non erit.

Tum quia (inquit) non vna specie dispergitur omnis
 Aridior terræque vapor comprehenditur igni,
 Diuersas quoque per facies accensa feruntur
 Lumina, quæ subitis existunt nata tenebris.
 Nam modò ceu longi fluitant de vertice crines,
 Flamma comas imitata volat, tenuisque capillos
 Diffusos radijs ardentibus explicat ignes.
 Nunc prior hæc facies dispersis crinibus exit,
 Et globus ardentis sequitur sub imagine barba.
 Interdum æquali laterum compagine ductus
 Quadratam ue trabem fingit, teretem ue columnã.
 Quinetiam tumidis exæquant dolia flammis
 Procero distenta vtero, paruosque capillos
 Mentitur, paruis signis glomeratur in orbes,
 Hirtas figurantes tremulo sub lumine messes:
 Lampadas & fissas ramosos fundit in ignes.

Hactenus ille, cum quo capitis huius commenta-
 tionem tibi claudio.

H ij

Crini-

Crinitarum species, differētiae ac nomina, ex Philosophis et Astronomis: vnā cum proprijs planetarum Cometis, de cuiusq; colore ceu pictura notis & manifestis. Cap. 10.

Cometarū species ex philosophis.

κομήτης.

παγωνίας.

κεφαλῆς.

Crinitarū species septem ex Astronomis.

Philosophi rerum naturae interpretes accuratissimi, cum Aristotele Cometarum species tres in vniuersum statuisse mihi videtur. Vnam qua, vt antea dictum est, κομήτης speciatim nuncupari solet. In qua flamma in modū comae ita aequaliter vndeque spargitur, vt coronam quandam & orbicularē figuram exprimere censeatur. Alteram cui ex superioribus, παγωνίας, id est barbata, nomen est: cuius coma inaequaliter porrigitur. Tertiā quę κεφαλῆς hoc est caudata, vulgo dici cōsuevit, cū in extremorum alterum conglobata flamma duntaxat apparet. Ad quarum catalogum quotquot proximo capite recensuimus transferre nihil cunctaberis, nec temerē factū putabis, quōd Latini ad triplicem hanc nomenclaturam alludentes, crinitas nunc comatas stellas, nunc barbata, quandoq; verò caudatas nuncupauerunt. Recentiores Astronomi, priscis Ptolemæi interpretibus, & alijs rerum celi magistris suffragantes, crinitas in septem classes & species, quotus est planetarū numerus, distribuerunt. Quarum omnium prima in
Luna

COMETOGRAPHIAE LIB. I. 61

Lunę altitudine, vel opposito loco fieri traditur, quoties planetę significatores, promissores, & imperatores, vigentibus adhuc eclipsibus, vel magnis coniunctionibus, ibidem vel fuerūt, vel per tempora Cometam promittentia, summum ius habuerunt, aut in id celitus conspirarunt. Hinc ab insigni flamme cādore & inbarum nitidula distractione, Argētum, nomē inditum fuit: propterea quod incendium habet, ob aspirationis sursum lata raram & tenuem essentiam, perinde atque argentum albicans. Quod mirum videri non debet, cum flamma materię quam depascitur, naturam plurimum induat, atque ex ea, vt sequēti libro ostendemus, colores varios effingat & cōformet. Hinc flammās longē diuersas & sanē quā dissimiles ex ardente farre exurgere deprehendes, quā ex sparto. Sic ex alno, Abiete, vel Carpino, quā ex Picea aut Ilice: ex sulphure, quā petro sale: ex lapideo carbone, quā ligneo: ex fece vini, quā calce: ex sandaracha, quā arrhenico, & ita de reliquis. Secūda species in Mercurij exaltatione, vel opposito loco aut quomodolibet aliter, vt scripsimus genita, dominus Asconę à Babylonijs & Sarracenīs astrologis, barbaro vocabulo nomen habet. Estque crinita parua, versicolor, lucida & bene caudata: sed tamē diuersimodē ob variam perturbatāque effumatio-

Crinita.

Argentum.

Fumi ardētis materię naturā sequuntur.

Crinita dominus Asconę.

H iij num

Crinita
Aurora

num materiam ex qua sursum coaliuit, ardens ac flammans: Tertia pulchra est & magna, lunarem candorem præ se ferens, cui Miles, alijs Aurora, datum est nomē: in Veneris sublimitate vel opposito loco tanta, celeritate emicans, vt regionum Zodiaci, partem bonam breui tempore citissimè excurrat, antè quàm dispareat. quanquam lunari crinita id potius ascribendum censent nonnulli. Huius color nitidulus & pulchellus, exhalationis ardentis synceritatem indicat & arguit.

Crinita.
Rosa,

Quarta in Solis altitudine, vel è regione gigni prona est, ab insigni luce rosa dicta, quæ vultum humanum cum breui cauda quandoque præ se tulisse est visa: flammam purpuream auream ue idcirco ostentans, quòd temperatum à mediocri calore, & deteriso halitu habet incendium. Quinta rutilās et ignea, in parte exaltationis Martis, vel ad oppositum locum, capite nonnunquam deorsum vergente, et cauda sursum tendēte, nasci assuevit. Quā permutato nomine, Auroram nonnulli, alij militem nuncuparunt: cuius flamma ignea est & rutila, ob fumi & stella retorridam planè naturam. Sexta in Iouis altitudine, vel ex opposito apparet, barbaris tenaculum dicta, & columna: quòd veluti supra igneam basim erecta conspiciatur. Cuius natura ob pellucidam materiam & puram, mirè candicans habetur.

Crinita
Miles.

Crinita.
Tenaculum &
columna,

Septima

Septima nigra appellatur, in Saturni sublimitate vel
 opposito loco apparens, colore fusco, breui cauda, & Crinita nigra.
 capillamento perparco aut nullo. Quae ideo praese fert,
 quia à terrestri aspiratione multum crassa, & inspis-
 sato fumo, qualis est incensa Picea, aut lapidei carbon-
 is, emergere plurimum solet. Habebis itaque haec à
 me in praesentia, ex antiquissimis rerum cali scri-
 ptoribus peregrinis & barbaris, vicunque excerpta:
 nam alibi, quod scia, legere nemini licebit. Quae hic
 assuere ideo consilium nobis fuit, ut rerum istarum de-
 scriptionem (quoad eius fieri potest) absolutam acci-
 peres. Multa dies tollent venientes, multa reponent.
 Quibus id cura erit, ut ad observationum libellam
 omnia diligenter expendant, nam de his certi quid-
 quam adhuc polliceri non ausim, cum de observatio-
 nibus assertio ipsa maxime pendeat. In quibus tamen
 assiduos fuisse arbitror maiores nostros, pauca nifi-
 lominus de libris, memoria rerum custodibus fidelis-
 simis, eam in rem nobis reliquerunt, vel si ita factum
 est, iniquissimi illorum nepotes iniquè distraxerunt,
 nobis inuiderunt: & ut praecleara alia multa, igni (ò
 scelus) perdiderunt, aut heredibus propolis, conuesti-
 dis mercibus legauerunt. Quod utinam animaduer-
 terent huius saeculi Bibliophylaces innumeri, qui po- In librorum hel-
 steritatis inmemores, saeva nimis mercede eximia luones.
 priscorum

*priscorum monimenta, cum blattis & tinceis miserè
rixari sinunt, ac nebulonibus dilapidada rocondū:
publicum mehercule peccatum, & publicis legibus
vindicanum. Sed hac nihil ad institutum. Itaque
cæptam viam persequor.*

De Crinitarum numero, & quot simul vi-
deri possint: quó ue in cæli tractu plurimùm
appareant. Cap. II.

A*Ristoteles in eruendis perscrutandisque rerum
naturæ causis, miraculum sanè quàm rarum,
plures Cometas simul fieri posse, itidem & videri,
author est, quod nemini, vt habet Plinius, compertum
est alteri. Augustinus Nyphus pro Aristotele, cū
plerisque alijs omnibus illius interpretibus, tanquam
pro aris & focis digladiari nihil veretur: eius sentē-
tiam similitudine, historijs ac ratione non tam confir-
mans, quàm etiam ostendere satagens, extra naturæ
conatus rem eam positam non esse. Nam quemad-
modum in humano corpore, vero (vt propediem de
opusculo ostēdam) microcosmo, plures oboriri possunt
anthraces, herpes, crysipelata, superfluatorum excre-
mentorum ceu halitus quidam fuliginosi, retorridi &
ignei: ita in maiore mundo, cuius pars non ignobilis
est*

Similitudo
elegans & ve-
rifica.

COMETOGRAPHIAE LIB. I. 65

est aër, crinitæ plures etiam eodẽ anno, & mense, simul videri ac gigni possunt. Quod anno à nato Christo millesimo & trecentesimo supra septimũ ac trigesimum contigisse fidem faciunt historiographorum annales. Nam eo labente quatuor mensibus Cometa admodũ illustris ardere est visus: qui antè quã exstingueretur, alterum mensibus duobus comitem habuit. Anno praterea septingentesimo & vigesimo sexto, regnante Carolo Martello, nam mense Ianuario (quod summi prodigij loco habitũ fuit) intra dies quindecim: vel, vt scribit Paulus Aemilius rerũ Gallicarum paraphrastes elegantissimus, bis septenos, Cometa duo face ignea Aquilonem spectantes in cælo comparuerũt: quorum alter Solem manẽ præcedebat, alter verò vesperẽ sequebatur, per quæ tempora gravissima Sarracenorum lues Gallias vastavit. Quãquàm dubitationem habet, nũ in eodem loco, eodẽmque horizonte, an diuersis cæli & mundi tractibus id contingat. Adhac num ex imagine veri Cometæ, in opposita nube resplendeat alter, perinde atque effigies in speculo, & πᾶσι δὲ in nube. Sunt qui Cometas quinque nec plures, simul spectari posse contendunt, cum ob terræ ad cælum & summũ aërem paruatam insigniter quantitatem, tum etiam quòd planetarum illos euocantium numerus dūtaxat quinaris

Cometæ duo
simul visi.

Cur Cometæ
plures quàm
quinq; simul
videri nequeant

I habeatur

Cometarū lo-
cus & situs.

Circa Septen-
trionē Come-
tas frequenter
apparere.

habeatur: nam Solē & Lunā quod generales sint
causae eorum omnium quae in aëre & terra fiunt, hic
philosophorum plerique non libetè admittunt, quod
refellere mihi videntur qui Chaldaicam profiten-
tur Astrologiam. Sed ad Cometarum situm &
locum, si placet, veniamus. Hippocrates Cōs & e-
ius discipulus Aeschylus, Cometas in Septentrione
extra tropicos maximè fieri apud Aristotelem con-
tendūt. Quibus hunc in modū subscripsisse mihi vi-
detur Plinius. Omnes fermè (inquit) sub ipso Septen-
trione fiunt Cometae, aliqua eius parte non certa, sed
maximè in candida via quae lactei circuli nomē ac-
cepit. Adhuc Seneca sic loquens: Circa Septentrio-
nem apparent frequentissimè Cometae, quia illic aë-
ris pigri, & exhalationum crassarum est plurimum.
Quarum rerum ratio à loci qualitate, situ & natura,
sumi potest. Sol enim cū reliquis planetis, ab arctico
rum alterutro, pro varia locorum latitudine semotus,
ob radiorum imbecillitatem fumida crinitarum fo-
mētā tā sursum quàm deorsum perdere & dissipare
haudquaquam potest. Ex quo illic Cometae potius
& certius quā alibi gigni liberè permittuntur. Quod
pertinet ad lactei circuli Plinianam partem, quam
γαλαξίας dixerunt Graeci, quia multarum & insi-
gniorum stellarum lumen esse perhibetur: idcirco Se-
ptentrio-

COMETOGRAPHIAE LIB. I. 67

ptentrionem versus, quâ ex porrectissimè patet, crinitarum constitutionem familiarem admodum esse ostendit. Quæ res sub tropicis & æquatorem versus, hinc inde: nec non ad meridiem, locum agrè habere posse mihi videtur. Nam hic signiferi situs est per quem planetarum motus et radij disspescunt multa ac deiores, fluctuantesq; in aëre exhalationes attenuant, diripiunt ac dissipant. Quod tamen in vniuersum admittere mihi non videtur Aristoteles, scribens contra Hippocratis sententiam, circa magnum terræ motum in Achaia, cum fluctus Burin & Elicen vrbes opperruerunt, ingentem æstiuo tempore ortum fuisse in æquinoctiali Cometem. Et rursum sub gloriosissimo Atheniensium principe Molone factum fuisse alium, mense (vt interpretatur) Ianuario circa tropicum hyemalem, Sole ibidem degente. Adhæc sub Nicomacho principe, circa æquinoctialem exortum fuisse alium, quo tempore insolitus ventus Corynithum insigniter vexauit. Quid amplius? imperante Attalo Pergami Rege ditissimo, Cometes initio, vt prodit Seneca modicus apparuit, deinde sustulit se, diffuditque in æquinoctialem vsque circulum veniens. Ita vt illam calî plagam cui Lactea nomen est, in immensum extetus aquaret. Sed exemplorum plus satis: ex quibus in dubitationem accerses, num hic Aristoteles

Cur inter tropicos & in meridie rari fiant Cometz.

Aristoteles in lib. meteorol.

I ij etiam

etiam intelligere potuerit anni tempestates, & Crinitarum loca potius quàm cali situm, & regionũ positiones. Quod ad occidentuam cali partem attinet, in qua Plinius ex Aristotele Cometas nunquam esse collegit, verè rem veram ipsa te docebit litera. πρὸς δὲ τῷ τοῖς, inquit, ἅπαντες οἱ καὶ ἡμῶς ὁ μὲν οἱ ἄνθρωποι δὲ ὅσους ἡ φανερὸν σαφές, quod est, Adhæc quotquot nostra tempestate visi sunt, sine occasu euauerunt. Ergo voluit Aristoteles in occidua cali parte comparere posse, sed supra horizontem, ut doctè est interpretatus Aphrodisius & acutè animaduertit Camerarius, plurimũ extingui. Quod verissimum esse tamen si de historijs constat, ipsa etiam confirmant obseruationes. Quàm scio multos Plinium non de motu aut loco, sed de materiæ proprietate loqui voluisse: quæ aliquando ita attenuatur & minuitur, ut supra horizontẽ absq; occasu vaneſcat ac dissipetur. Sed de his satis.

In qua anni parte fieri, gigní ue plurimũ soleant Cometæ: ad hæc quanto tempore et quibus diei partibus emicent, ac in spectaculum veniant. Cap. 12.

Ptolemæi
ἐγκώμιον
præclarum.

Claudius Ptolemæus rerum cali interpres si quis alius diligentissimus et accuratissimus: qui pri-
mus

COMETOGRAPHIAE LIB. I. 69

mus Materno teste, naturalē philosophiā cū Astro-
nomia coniunxit, censere mihi videtur Cometas ab
eclipsibus luminarium, & (vt scribit Albumazar)
superiorum planetarum coniunctionibus, in quibus
Mars & Mercurius, vt diximus, prerogatiuā ha-
buerint, vires cum significatione accipere: earundem-
que perlabente decretorio tempore conspici posse, ni-
mirum quando caelestis causa praesens adhuc est, ac
vegetis viribus etiamnum spirat: idque vere & au-
tumno plurimum. Nam his temporibus calor Solis
mediocris & temperato proximus, aspirationes in-
cendio peropportunas sursum tollere, & quoad eius
fieri potest, illibatas seruare aptus est. Quae aestate ob-
pollentes & validos Solis ac stellarum radios, sicuti
facile distrahi solent ac disperdi: ita hyeme propter
circumfusus frigus, & infirmas radiorum Solis vi-
res, ne in altum perferantur praepediri, saltem apud
nos, & Septentrionales nationes alias. Tamen Ari-
stoteles aestate in Achaia, vt proximo adnotatum est
capite, magnum Cometam visum fuisse, factosque
ad Austrum alios non paucos, author est. Ad haec
sub Asio principe vastum & horredum alterum ri-
gente hyeme emerfisse: qui lumen suū ad tertiam vsq;
cali partem extendit, ascenditque ad Orionis bal-
theum, vbi tandem disparuit. Cui ad stipulatur Pli-

Quibus tēpo-
ribus Comete
fiant & appa-
reant,

Aristoteles in
Meteorolog.

nus, scribens etiam hybernis mensibus fieri, & in austrino polo, sed ibi citra vllum iubar. Quod utique verissimum esse testati sunt Cometae duo mense Ianuario ut paulò antè ostendimus, in Gallia aliquando visi, & alter à Ioanne Regiomōtano toto mēse Ianuario & Februario observatus, de quo in fine huius. Unde colligere facile est, Cometæ statum generationis tempus nullum agnoscere, sed plurimum cælo ac stellis, à quibus promissi fuerunt & excitati, subservire: dum scilicet viget, & in ciendis temporibus per anni quadrantes, vel lunares menses, aut quomodocunque aliter summum ius sibi ascribunt. Verum enimvero tempus aliud penes apparitionem & durationē, philosophos etiam observare nescius non eris: de quo hunc in modum Plinius, Breuissimum spatium quo cernuntur crinita, septem dierum adnotatum est, longissimum triginta. Quod ego cum eruditis accidere tum maximè crediderim, dum Soli viciniore facta, ab occidente in orientem peregrinabuntur, ortūque matutino Solem precedentes, ut explicatiùs postea ostendam, apparebunt. Quamquam alij, ut Seneca, sex mensium longissimum tempus visionis illarum esse affirmant. Quanto tempore in civili motu Octavio consule, & rursus in Pompeij & Cesaris bello, & per tempora in quibus Claud. Caesar imperium

Cometæ cælo
subseruiūt nec
certum habēt
tempus.

Apparitio &
duratio Come-
tarum.

rium Domitio Neroni reliquit, excanduisse ferunt non desunt historiographi qui scribant per totum annum aliquando exarsisse & perseverauisse. Quale adnotauerunt Iosephus & Eusebius. Hic ecclesiasticę historię scriptor diligentissimus, ille rerum Iudaicarum paraphraſtes elegantissimus: de quibus supra. Non itaque erit dictum tempus certum Cometis, cū quo & ardeant & appareant. Ad quę adijcies quod passim à doctissimis scriptum, probatumque leges, Cometas nisi noctu conspici agere passim sub vespere nonnunquam, ut antea monuimus, quandoque verò sub auroram. Tamen si nō absunt, qui cōtrā sentiant, atque de die etiam videri posse, cum Aristotele acriter contendant. Neque enim (inquiunt) tantus esse potest Solaris maiestatis splendor, ut tantum ignis qui vel ardentem Aethram si illi asideret obscurare nihil cunctaretur, nobis in totum possit eripere, & productiones huiusmodi soluere, visionemque omnino delere, cum in ipso meridie nobis etiam spectentur stellę. Quod sanē absurdum mihi nequaquam videtur, qui Veneris stellam Solis affeclam & quandoque Mercurium etiam in ipso meridie absque instrumentis & vidi, & familiaribus mēis centies ostendi. Hic tamen meminisse licet, quod eruntarum nocturna apparitio brevis plerumque esse solet: in
quam

Cometas etiā
de die videri
posse.

quam rem Marc. Manilium adluisse audies.

Quod nisi vicinos, inquit, agerent occasibus ortus,
Et tam parua forent accensis tempora flammis:

Alter nocte dies esset, calúmque rediret,
Immensum & somno totum deprenderet orbem.

Plinius lib. 2.
interpretatur.

Quod ad crinitum sydus attinet, visum septem
dies illuxisse, in ludis quos Iulio Casari sacrabat hæ-
res Augustus, oririq; circa undecimam diei horam
de quo apud Suetoniũ in vita Iulij, et apud Pliniũ, ac
Senecã, putat philosophia pariter ac Mathematices
periti, diẽ in ea historia non pro Solari, sed pro eo qui
quatuor & viginti est horarum accipi, quem & na-
turalem appellant & æquinoctialem, vt undecima
illa hora nocturni sit temporis nõ diurni: ducto à me-
ridie, mathematico more supputationis initio. Quã-
quàm scio Romanos horis temporalibus & plane-
tarijs etiam vsos fuisse. Alij paulò subtiliùs philoso-
phantes, ad varia discrimina exortuum supra hori-
zontem quidquid id est referendum censent, vt ortus
dicatur Cometes non visus. verum in his non licet no-
bis tam esse disertis. Vt vt sese res habuerit, putarem
ego cũ doctissimorũ observationibus, Cometas ab his
qui visus pollent acumine, etiam diurnis horis adno-
tari posse. Sed de tempore philosophatum satis. Au-
dies

COMETOGRAPHIAE LIB. I. 73

dies tamen proximo libro Astrologorum filios aliud tempus perscrutari: nimirum in quo sese proferent calamitates quarum prænuntia censebuntur crinita, ad hæc quantum producentur & alia: in quibus calamum pro tenuitate nostra tibi exercere studebimus.

De hoc tempo
lib. 2.

De crinitarum motu, & unde illum habent, quatenusue agat & procedat. Cap. 13.

Nosse pretium opera est caelestium orbium rapidam vertiginem, quæ ad supremi circumvolutionem ab oriente per meridiem in occasum horis quatuor supra viginti, ut antea adnotauimus, citissima est. secum rapere unà cum æthere etiam vicinum ætherem, loci & naturæ familiaritate sequi paratissimum. Quo moto, ibidem pendulos Cometas simul distrahi, rapique, non est quod mireris, neque anxie admodum disquiras, sit ne motus hic ex illorum natura necne: fieri enim posse non video, ut flamma alioquin errabunda, in aëre corpore vago et fluctuante, certam ac circularem agitationis formulam ex sese institueret, nisi aliunde accersatur & inuetur. Itaque motum triplicem crinitis, cum doctioribus hic deputabimus. Vnum de quo haud ita pridem: à quo oriuntur vel occidunt: cuius mouens primum ac postremum, à

A quo mouetur
sumus aer,

Triplex Crinitarum motus,

K caelestium

caelestium sphaerarum summa per medias ad ultimam usque, circularis dependet. Alterum, qui ab illo degenerans de imitatione eorum planetarum à quibus crinita vel fiunt, vel incenduntur, secundum legitimam signorum constitutionem, vel contra, oboriri solet. Tertium quo ab occasu in meridiem & à Septentrione in occasum, vel aliter feruntur via nunc recta, nunc obliqua, aliàs tardiore aliàs velociore: & ut paucis dicam, difformi & errabunda. Quod utique verissimum esse indicauit Neronianus Cometes de quo paulò antè. Is etenim, ut testis est Seneca, intra mensem, sextam cali partem transcurrit, à Septentrione motus sui initium ducens, & per occidentem in meridiana proueniens, qui cursum dirigere ubi cepit, tunc oblituit. A quo nonnihil diuersum est molitus Milichianus Cometes apud Plinium. Nam principio austrinus fuit, postea verò cepit in Septentrionem abire. Sed istorum omnium motuum historià ex Regionotani observationibus in fine huius libri tibi proponam. Has motiones Peripatetici esse contendunt, à certis stellis Cometas ad suos gressus componentibus: quibus una cum Sole ut fierent, prodirent ue, primam fenestram aperuerunt, & classicum *ὀρχήστρου* cecinerunt. Vnde sepe numero aliò quàm ab ortu in occasum, & contra, ut nunc diximus, redere visi sunt: quod

ties

Seneca in
quæst. nat.

Vnde motus
Cometarum
errabundus.

COMETOGRAPHIAE LIB. I. 75

ties dux planeta, aut hospes, vel emissor, ac incēsa materia, ex colore, aut aliter moderator, regradarius fuit: vel eò locorum incendiū habenas, tanquam auriga eggit ac deduxit. Quod cuiuspiam mirum videri nō debet, cū tractū, vt habet philosophus, equē velociter atque suum trahens moueatur, & quo imperauerit, aut visum erit, ilico feratur. Historia Iouianus rem eam hunc in modum illustrat. Cometes (inquit) tenui primū capite, comāque admodum breui à nobis conspectus est: qui mox mirae magnitudinis factus, ab ortu in Septentrionem cepit deflectere, nunc citato motu, nunc remisso. Et quod Mars, Saturnūque regrederetur, ipse auersus, coma progrediente ferrebatur: donec ad arctos peruenit. Vnde cū primū Saturnus & Mars recto cursu pergere ceperunt, in occasum iter flexit, tanta celeritate, vt die vno triginta gradus emensus sit: atque vbi ad Arietem & Taurum commeauit, videri desijt. Ille dies plurimos fulsit, & qui initio breuior visus fuit, adeò creuit, vt quinquaginta gradus, atq; etiam amplius occupaauerit. Hac ille. Verū enim uero effumationum quae ipsis Cometis fomentum sufficiunt, multitudo, paucitas, raritas & densitas, in summa qualitas & quantitas (sicuti antea ostensum est) hic omnino negligenda non veniunt. Nam materia quantò magis exte-

Historia per
apposita.

Quae in Come-
tis obseruāda.

K ij nuatur

nuatur, tantò minus motui resistit ac flamma (vt scripsit Seneca) quò natura ducit sua, aut quâ trahit materies quam depascitur, illac motum tētare solet. Quē tametsi agrē deprehensum, crinitis quartum adscribere, multis visum fuit. Triplici itaque agentur motu sensui manifesto. Nectemerē mea quidem sententia cum ipsis corporibus motui opportunis comparatum esse ex philosopho didicerimus vt vel à se, vel ab alio, aut ab utroque simul moueantur, trudentur aut pellantur. Quod Cometis quam appositè quadret, non est in tanta illorum luce, quòd ampliùs illustratum velis.

Inepta pseudo
philosophorū
quorundā opio.

Non defuerunt ἀφιλόσοφοι aliquot ridendi potiùs quam audiendi, quibus ineptè ne dicam stolidè, vagum crinitarum motum & difformem nō à calo, sed à ventis & aspirationū reliquijs in summo aëre huc & illuc deerrantibus ascribere placuit. Quos cū prima Meteorologicę philosophię principia, satis superque euerberēt, Βάλλ' ἐς νόταυας, vt loquitur Aristophanes. Itaq; ad priscas doctissimorum ea in re observationes te deduco. Linconensis non dubiæ authoritatis philosophus & astronomus, cum Aristotele, Seneca, Georg. Valla & Plinio, videtur mihi velle crinitas exclusa vniuersali reuolutione, quasi immobiles & stationarias quandoque herere. Quod quomodo & quatenus accipiendum sit, cū ex his quę diximus, tuni

COMETOGRAPHIAE LIB. I. 77

tum etiam quæ postea proferemus, haud obscure intelliges. Addunt iuniores ex Aristotele, quod & nos etiam nunc nuper attigimus, Cometam ab erratica stella è regione cuius fuerit, vel apparitionis author, ac signi sub quo emicat hospes, incensaque materia (si colorem spectas) moderatrix habebitur, motus sui (maximè secundi) initium accipere, ei que non secus parere, quam equi auriga, & equis currus. Ad hæc propter occultam similitudinem & latèntem quædam quam habet cum dicta stella, ex sublimi, ut à Magnete ferrum, via indicibili trahi. Quod magnoperè non obstupebit, qui aliquando observavit, feculentas mundi huius inferioris materias à sempiternis ignibus per aërem etiam nondum excoctas & apparatus, stellarum motibus, vel de longinquo spacio, ancillari. In quibus ecquid Heraclium lapidem lippis et tonforibus cognitum, imò vero ferreum stylum ei attritum in medium adferam? Quem in libero horizonte liberè iacentem, quis non videt ac summi prodigij loco habet, ad Cynosuram, polarém ue nostram Ursulam, etiam intra densissimos parietes, rectè cōverti? Quod à spirante per aërem, syderis cui subijcitur occulta energiea, clam emergere quis dubitat? Quod exemplum si parvam tibi fidem facit, de promiam Cychoreum, Scorpiurum & Heliotropium,

Iuniorū sententia de Cometarum motu,

Heraclius lapis.

K iij plan-

Cychozeum et
Heliotropium.

plantas tam tibi opinor cognitās, quā sunt propriū
vngues. Quas humi adhuc immersas, Solis etiam in
nube latentis vel sub terra delitescētis motrices vires
per omnem horiZontis tractum, saltē de flore presen-
tiscere & cum eo omnibus horis verti, orientem salu-
tare, medium cali templum occupātem, rectā intueri,
cadentem insequi, nullus est tam stupidus rerum na-
tura contemplator, qui non aliquando viderit: ac plā-
tas eas ob id Solis sponsas, & rusticorum, viatorūmq;
horologia & horoscopia hinc ritē dici intellexerit.
Proferam, oleam, tiliam, populum, vlmum & salicis
folia quæ motu Solis cōuersione palām circūaguntur
æstiuo Solstitio, calum postridie quā pridie alia fa-
cie spectantes. Proferā harmoniam quā Oceanus cū
Lunæ ascensionibus & descensionibus in vtroque ho-
rizonte penes fluxus & refluxus quotidie agnoscit,
atque ob oculos ponit. In cuius rei causis & demon-
strationibus, quia noster de Lunæ & Oceani con-
cordia, totus prope diem tibi erit libellus, verbum non
amplius addo. Ex his itaque colliges celestis naturæ
motum, spiritum, & vehiculum vbiq; potentissi-
mum esse: ac per abditos, vt sic dicam, cuniculos in
materias vniuersitatis rerum, imò verò in ipsum v-
niuersum sensim irrepere, agere, vigere, impetum fa-
cere, et plane diuina moliri, quod in terra & aqua,

vt

Spiritu celestē
vbiq; vigere
& potētiss. esse.

COMETOGRAPHIAE LIB. I. 79

ut nunc ostendimus, si agnoscis & recipis: in aëre
nisi fungus omnino es, aut marpesia cautes, ingenuē
(opinor) etiam agnoscēs, nec posthac miraberis Co-
metas à suis stellis regi ac rapi perinde atque passiva
ab actiuis, & inferiora à superioribus, quibus velint
nolint, ancillari coguntur.

Sint ne Cometæ cælestis naturæ, an verò
elementaris: ubi variæ in vtramque partem
opiniones. Cap. 14.

BEne certatum est olim, & adhuc lis de indice
pendet, sint ne Cometæ de syderum & stellarū
natura, nec ne, hoc est, sint ne cælestes, an verò ele-
mentares. Seneca philosophus acutissimus cum Hip-
pocrate, Aeschilo, Apollonio Myndio, Diogene
apud Plutarchum, & Pythagoricis, de quibus su-
prà, sentire mihi videtur Cometam cælestis natura
prorsus esse & non elementaris, atque in stellarum
elemento non corruptibili materia versari: & hinc
stellæ nomen, potius quam aliud quidvis indipisci.
Cui non pauci cum iuniores, tum prisca & philoso-
phi & astronomi subscribere nō detrectant: nisi quòd
Cometam in calo stellam esse perpetuam non facile
sibi persuadēt, sed potius hominibus ad triste aliquid
signi-

Cometa cæle-
stis naturæ nō
elementaris.

significādum aliquot dies aut menses calitūs ostendi.
In quam rem Marc. Maniliū ad Augustū im-
peratorem alluisse audies.

Marc. Man.
lib. 1.

Sive illas (inquit) natura faces sub cuncta creavit
Sydera per vastas calo lucentia flammās:
Sive Deus instantis fati miseratus, in orbem
Signa per effectus, calique incendia mittit:
Nunquam futilibus excanduit ignibus aër.

Seneca Quæst.
nat. lib. 7.

Sed sententiæ Senecæ particulam hic adscribere,
quia id me facturum paulò antè recepi nūquid non
erit. Ego (inquit) nostris non assentio. Neque enim
existimo Cometam subitaneum ignem esse, sed inter
æterna opera naturæ non postremum. Primum quæ-
cunque aër creat brevia sunt: nasciuntur enim in re fu-
gaci ac mutabili. Quomodo enim potest in aëre ali-
quid diu permanere, cum ipse idem nūquam perma-
neat: fluit semper & brevis illi est quies, atque inter
exiguū momentum in alium quam in quo fuerat
vertitur statum: nunc pluuius, nunc serenus, nunc in-
ter utrunque varius: nubes illi familiarissimæ sunt, in
quas cōit: & ex quibus soluitur. Fieri itaque non po-
test ut ignis certus in corpore vago sedeat, & ita per-
tinaciter hareat, quàm quæ natura ut nunquam ex-
citerentur aptavit. Præterea si alimento suo semper
hareret

*hæreret, descenderet: eò enim craſſior aër eſt, quò ter-
 ris propinquior. Nunquam Cometes in imum uſque
 demittitur, neque appropinquat ſolo. Ignis autem quò
 natura illum ducit ſua fertur, nimirum ſurſum: aut
 quò eum trahit materia cui adhæſit, & quam de-
 paſcitur. Nullis ignibus ordinarijs & caeleſtibus i-
 ter flexum eſt, ſyderis proprium eſt ducere orbem.
 Atqui hæc Cometæ an alijs fecerint nescio, duo noſtra
 etate fecerunt. Deinde omne quod cauſa temporalis
 accendit, citò intercidit: ſic faces ardent dum tranſe-
 unt: ſic fulmina in vnum valèt iſtum: ſic qua tranſ-
 uerſæ dicuntur ſtellæ cadentes, præteruolant & ſecât
 aëra. Nullis ignibus niſi in ſuo mora eſt. Illis dico di-
 uinis quos habet mūdus æternos, quia partes eius ſunt
 et opera. Hactenus Seneca: Ex cuius verbis quid a-
 liud, amabò, colliges, quàm Cometæ ignes fortuitos
 non eſſe, ſed potiùs celeſte quidpiam, ſtellarum elemē-
 tū agnoſcens? Seneca ſuffragatur Apollonius Myn-
 dius. Cometæ errantium ſtellarum numero cū Chal-
 deis accenſens. Suffragatur & Ioan. Damascenus
 authore Alberto hunc in modum ſcribens: Conſtitu-
 untur (inquit) multoties Cometæ, ſigna quidem ſigni-
 ficantia mortēs Regum: qui non ſunt ex his aſtris quæ
 à principio creata ſunt, ſed diuina prouidentia ſecun-
 dum iſtud tempus deſtinata & mox diſſoluenda.*

L Volat

Plin. lib. 2. &
 Ptolem. in A-
 phor. & 2. apo-
 telef.

Concinna si-
 militudo &
 elegans.

Ptol. lib. 2. ad
 finem.

*Volat inter vtrumque Plinius, nec longè recedit Pro-
 lemaeus, nisi quòd non vult proprijs in hæc inferiora
 vti viribus, sed secundis, vnde secundas stellas alicu-
 bi nuncupat, fortasse quòd in mutationibus rerum ter-
 ræ, aëris hominum & animalium secundas post cæ-
 lum ferât, vel inde acceptas agnoscat, vel quòd cale-
 stes vires elemētariarum aurigas habere intelligeret,
 quarum auspicijs suas significationes & portenta in
 hoc mundo non secus explicant quā in corpore phar-
 macum. Quod vt de se nihil aut minimū potest, ni-
 si à naturali calore de potentia (vt loquuntur) in actū
 perducatur: ita crinite à celestibus corporibus virtute
 quorum emerferunt & aguntur, nisi ferrata, vt sic di-
 cam, calce pulsentur, parum aut nihil promouët. Nā
 eadem cum illis portendunt ac significant: quod
 Claud. Ptolem. hūc in modum innuisse audies. Ge-
 neralia visa aëris inquit, certis temporibus ea porten-
 dunt, quæ sunt in superioribus, de suis quæque accide-
 tibus explicata. Seneca sententiam, Aegyptiorum
 astronomi confirmant, quibus coma stellis aliquot ex
 earum classe qui sunt in Canis coxa, conspecta &
 adnotata sæpenumero fuit. Nec omittunt quòd crini-
 te ad motum excitatori planetae, vel dominatori an-
 cillantem (qui à sola materia non pender) suos cursus
 etiam composuisse frequentissimè sunt visa. Quibus
 stelle*

stellæ nomen (sicuti superius ostendimus) ob significat
iones quas cū illis et spirāt & cōmunes habent, tum
etiam ob caelestem naturam, qua duce formidabile a-
liquid semper intentarunt, non temerè cōnexū fuisse
astruunt. Hinc Lucanus metuendum Sydyus Come-
tam nominavit, Vergilius dirum, & sanguineū. Pō-
tanus timēdum crine minaci. Plinius terrificum, se-
uum & non leuiter expiatum. Politianus triste, &
Ouidius micantem stellā. Cui parti cōstanter patro-
cinari mihi videtur Iaco. Zieglerus suis in Genesim
conceptionibus: scribens Cometæ ex contingenti &
motoria in horam causa diu foueri ac durare naturā
non posse, præsertim ex tantis spatijs terrarum atque
adeo Septētrionalium quæ & gelu adstringūtur, &
Cometæ sæpenumero vident. Quorum materia, cur
in media regione aëris algētissima per quam transit,
statim in lapidē, vti fulmē nō riget, aut quò altiùs as-
surgit absque dispendio & iactura? Quam si conscē-
dere donaueris, qui sit vt motum tanto tempore ad ca-
nonem durantem habeat, prodigiosa magnitudine
& summa à terra altitudine? Vnde portētoſa dura-
tio in annum? Erunt itaque vt scribit Iosephus, ex oc-
cultis rerum naturæ causis Cometæ. Ex quibus om-
nibus facilè esset concludere, Cometam vel caelestem
esse, vel caelestis naturæ participem, nisi Aristoteles

Cūr crinitæ
stellæ dictæ.

L ii rerum

Cometas ele-
mentaris esse
naturæ.

rerum mundi peruestigator incomparabilis sese con-
stanter opponeret: multisque rationibus & indicijs
cùm ab incremento, diminutione abolitione & ma-
teria depromptis, Cometas elementaris naturæ om-
nino esse contenderet: ac illis duntaxa: significationē
ac præmonstrationem quandam siccitatum, ventoriū,
bellorum, sterilitatis & similium in genere adscri-
beret: & cum sua familiæ iuratis censeret eorum que
in mundi theatro exhibenda sunt præcones potius es-
se quàm actores: eamque habere cum his inferioribus
analogiam, quam iris ad terram, & ut medica phi-
losophicis cōiungam, vrina ad corpus. Quorum illa
quemadmodum serenitatis, pluuię aut ventorum si-
gna tantum præ se fert, ita hæc sanitatis vel morbi.
Cui rei ad stipulari mihi videtur Arabs Ptolemæi in
terpres: ignitas aëris impressiones, signalia ubique nū-
cupans. Ceterum quod planeta nō sunt, hunc in mō-
dum ratiocinantur Peripatetici, Cometæ extra zo-
diacū supra tropicos ad Septentrionem, ut antea do-
cuimus, plurimum apparent, Planeta intra signiferū
perpetuò resident, Itaque his accenseri minùs possunt.
Præterea sæpenumero accidit ut omnes planeta in su-
is locis prospiciantur cùm alibi fulget Cometa, quē-
admodum obseruauerunt multi: ex quo fit ut in illo-
rum classe haberi itidem non possit. His accedit va-
rietas

Cometas in nu-
mero planeta-
rum haberi nō
posse,

rietas motus, loci & figura. Nam in vno aliquo loco, aut spatio certis limitibus clauso, non oriuntur, vehuntur, occidunt aut incenduntur Comete, sed alias alibi, et variè sub aliena à planetis figura, vnde ab illis desiscere credendum est. Postremo in fixarum & errantium ordine etiam haberi non posse hinc colligunt, quòd statis locis, vt ille, quotidie non compareant, diuersisque circumferantur motibus. Insuper quòd splendor magnitudoque in crinitis vbique sibi similis & aequalis perinde atque in fixis stellis non perseueret, nec certis temporibus vti in illis, conspiciatur ac emicet: denique quòd velocius moueantur crinitæ quàm stellarum vlla: adeò quòd Pontano authore gradus triginta vno die (quemadmodum antea scriptum est) excurrisse aliquando visa sunt: imo vero signa quatuor, si quam habes fidem Ioanni à Regiomonte rerum mathematicarum peritissimo, qui id de obseruatione explorauit, scripsit & adnotauit, quemadmodum in fine huius libri de propria historia audies. Ad quæ adiciet stellarum & crinitarum naturam tantum inter se distantem, quantum (quod dicunt) era lupinis. Insuper quòd præter alia multa à positis mundi fundamentis hæ vt ille in immensum crescere, & decrescere penitusque absumi hætenus visæ non sunt. Ad hæc quòd nouæ alicuius stelle vestigium qualecunque

Cometas, stellas fixas esse non posse.

Cometa ad prodigiū vsque velocius.

extincta Cometarum flamma nunquam appareat. Quae flamma quia cum sua materia in aëre palam versatur, ardet, & consumitur, idcirco elementaris potius quam celestis est censenda. Quod ita esse innuerunt omnium gentium philosophi penè omnes, crinitarum generationem cum suis causis in materia querentes & stantes. Quorum natura si celestis esset, id frustra omnino tentassent. Habes summorum philosophorum dissultantes & utrimque pugnantes sententias. Quas ut inuicem componas, quid opponas, adpanas aut proferas? Ego sanè sacra (ut verū fatear) celestis et naturalis philosophiae penetralia de primo vestibulo vix dum ingressus, quid seriò pronuntiè non habeo: nec si habeam liberè efferre ausim. Vtūque tamen omnia sic conciliari posse arbitror, ut idē Cometa & celestis & elementaris dici iure possit. Celestis, quatenus à calis virtute excitatur, et sui planetæ gressum sequitur, eiusque significata nobis ob oculos ponit, & motum multiplicem ab omni, materia ratione prorsus alienum modulatur. Elementaris vero, quod ex materia elementari & proinde corruptibili coalescat, ignisq; idiotopon' ap' penes effecta in plerisque amuletur. Vnde nos vocabulo nouo quidē, sed, si propius spectes, fortasse non inepto, rem utrāq; complexi, Cometam elementarem stellam dicere consueuimus

Cometas celestes dici posse & elementares.

COMETOGRAPHIAE LIB. I. 87

sueuimus. Ab antiquis atque adeò à Ptolemæo non Ptol. in Apho.
admodum recedentes: apud quem summs regionis
aëris ignita spectra, & aerina aërea, hoc est corruptibi-
les stellas quandoque nominari audimus. Quæ no-
menclatura, cum his quæ supra attuli, quasi per tran-
sennam satisfacere poterit, sciscitantibus, cur Come-
ta cum ex calida & sicca fiant exhalatione, aliud
quàm æstum & ventos portendant. Ad hæc cur ea-
dem non significant venti, quàm Comets, cum vtro-
bique eadem ferè sit materia. In quam rem etiam nō
nulla sequenti libro per occasionem depromenda, pla-
cidè, vt reliqua, expectabis.

Vtrum Cometæ supra elementarias facul-
tates aliquid significant ac portendant.

Cap. 15.

Dubitari passim audio, num Cometæ aliquid
possint ac significant ultra elementarias quali-
tates, hoc est, præter id quod nō est calidum, frigidum,
siccum, humidum simpliciter vel per complicationē,
iuxta variam elementorum misturam: & vt medi-
cè loquar, complexionem. Volo dicere, num etiam si-
gnificent bella, pestes, seditiones, mortēs, sterilitates,
famem, morbos & alia: quorum forma propriè non
est

Questio admo-
dum dubia &
difficilis.

est elementaris qualitas. Hæc sanè difficilem habet
 responsionem cum dubitatione annexam: tamen ne
 non parte aliqua discendi cupidus faciam satis, hæc
 in presentia pro ingenij tenuitate precipito & exhi-
 beo: non minùs paratus quod scio cæcidè docere, quàm
 quod ignoro libèter discere. Itaque quia Cometæ à lu-
 minarium eclipsibus, & magnis planetarum coniu-
 ctionibus ferè semper promittuntur, excitantur, &
 originem suam acceptâ ferunt, crediderim haud du-
 biè cum antiquissimis rerum celi philosophis, illos id
 significare posse ac portendere, quod eorum authores
 planeta ac emissores ciere & prestare sunt parati:
 id quæ stato tẽpore. Cuius seu signo desuper dato præ-
 cones esse censentur crinitæ, instantiũque euentuum
 ante signani aliqua ex parte consortes, pro natura, lo-
 co, viribus & prerogatiua stellarum ac signorum sub
 quibus, aut cum quibus militant, ardent & emicant.
 Quod ex Claud. Ptolem. sic ostendo: Aëris, inquit,
 aduētitijs visiones certis temporibus ea vniuersaliter
 portendunt, quæ sunt in superioribus de suis quæque
 accidentibus explicata. Rursum alibi: quidquid in
 vniuersum accidit, hoc non contemplatione naturæ,
 sed sola obseruatione de euidentibus Solis & Lunæ
 cõfigurationibus & reliquarum stellarum significa-
 tionibus præiuderi solet. Et paulò post: Inferiora mu-
 tationibus

Crinitæ à suis
 parentibus nõ
 degenerant,

Ptol. lib. 1. &
 2. Apoteles.

COMETOGRAPHIAE LIB. I. 89

rationibus subijciuntur de superioribus & primis
causis. Quod de observatione sicuti probarunt an-
tiqui, ita confirmarunt iuniores. Ex quibus id ex-
empli tibi proferam. Anno domini sesquimillesi-
mo supra quartum, superiorum planetarum syno-
dus in Cancro facta, horrendum Cometam secun-
do post anno peperit, quem bienno post (si non men-
titur Nyphus) tanta vredo est secuta, tamque intole-
rabilis aestus, ut à Ianuario mense, in Nouembrè vs-
que, nulla prorsus pluuia apud Insabres visa fuerit, i-
mò verò extrema siccitas, vires totum quadriennium
cum vigore colligens. Quid præter ea? anno à Come-
ta tertio Maximilianus imperator cum innumera
& populariter instructa manu cōtra Gallos & Ve-
netos in Italiam profectus est. Vbi multa inter Iulii
secundum Pontif. Max. & Ludou. octauum Gal-
lorū Regem, nec non Maximil. ac Ferdinandū Ca-
tholicum pacta transacta que fuerunt. Anno ab eo-
dem Cometa quarto dictus Iulius aduersus Ferrariē
suum principem ingentes copias parauit: fueruntque
multa post Cometæ apparitionem quæ hic consultò
omittimus. Atque ne recentiorum exemplis nos ni-
mium applaudere dicas, Cometam qui Haly He-
ben Rodam vetustissimo Ptolemæi interpreti olim
visus est, ex umbra in lucem educo. Apparuit nobis

Historia ex
Aug. Nypho.

Hæc Haly sub
finem secundi
lib. Quadr.
Ptol.

M inquit

inquit, & multis alijs sapientibus Cometa ingens in signo Scorpij, Solè per Taurum peregrinante: cuius splendor erat vt Luna quarta pars, vel amplius, superiora illustrans, & reuolutionem in proprio signo cū firmamenti motu adequans: quo extincto hæc contigerunt, Inter Mauros prælia atrocissima, & cades innumera, cum magna ciuium ac ciuitatum depopulatione & luctu. Paulò post, surrexit potens hereticus in Regem: magna fuit siccitas, cum annona inopia ex qua & bello pestis prodigiosa emerfit. Quibus multis annis seuientibus, vix vlli mortalium dinumeranda cadauera prostrata fuerūt. Quæ omnia Marti & Mercurio ascribenda esse, nemo est rerū celi candidatus qui ignoret, quemadmodum ille ibidem egregiè docet ac describit. Possunt itaque planeta & qui illorum sunt partus Cometa in hæc inferiora præter elemētares qualitates plurima, tam per aspectum, quàm participationem hospitū ac familiaritatem: sed omnium maximè coniuncti. Quod de Claud. Ptol. authoritate sic firmatum audies. Non prætermittes (inquit) centum ac decem & nouē coniunctiones: nam in his posita est cognitio eorum quæ fiunt in mūdo generationis & corruptionis. Ex quibus verbis innuere mihi videtur, planetarum coniunctiones, & illorum factus Cometæ, ea quæ in mundo fiunt

Ptol. in Apho.

COMETOGRAPHIAE LIB. I. 91

fiunt, aut futura sunt portendere, ac aliquid, imò verò plurima supra elementarias qualitates, abdita via et caco spiritu agnoscere ac sustinere. In quam sententiam descendunt Messalach, Albumazar & alij plerique omnes rerum cali magistri Chaldaei, Graeci & Latini. Quod ratione defendi etiam potest. Nam quilibet planeta in celo potens & fortis, non tantum ea quae ad elementa & corpus attinent, sed etiam quae ad animum cuius origo est caelestis, portendere potest. Sicuti Saturnus mærores, sollicitudines, planctus, taciturnitatem, terrores & similia. Iuppiter amicitiam, pacem, tranquillitatem, pietatem, religionem & id genus: quemadmodum sequenti libro suis locis per occasionem ostendemus ac recensebimus. Præterea planeta in genesi morborum dominus, peculiare suos morbos excitat & portendit. Quod vnū si seorsum & solitariè potest iure suo & alterius cui copulabitur, multo magis poterit, suarum significationum prærogatiuam suo Cometae tanquam filio (patrem enim sequitur sua proles) committēs: sin minus aperte, saltem vi occulta conspirante vniuerso celo. Sed hic sciulus quispiam mihi oblarrās, obijciat insignes multas calamitates se penumero publicè contigisse, quarum nulla præmonstratio fuit nec in celo, nec in aëre: hoc est, quas nulla præcessit vel eclipsis lu-

Planetas Cometis suas vires cōmittere.

M ñ mina-

Nihil publicè
fit, quod in cæ-
lo præmōstra-
tum non sit.

minarium, vel superiorum planetarum coniunctio,
aut illorum partus Cometa. Sanè si seduli fuerimus
rerū cæli perscrutatores, & cælestium abacorum, nec
non temporum supputatores exacti, inueniemus re-
gnorum fatales mutationes effectus grandes, & ca-
sus notabiles quicunque fuerunt, nunquam aut raro
admodum contigisse, quin causa aliqua cælestis, &
premonstratio, ceu de classico illos notis antè cecine-
rit, & quasi digito ostenderit. Cuius rei testem profe-
ram Marc. Maniliū, hunc in modum ad Au-
gustum scribentem,

Ne mirere graueis rerumq; hominumq; ruinas,
Sepe domi culpa est, nescimus credere cælo:
Nunquam futilibus excanduit ignibus aër.

Sed insana rerum inferiorum cura, & leuis ne-
scio quæ ambitio, in cælum & res illius, longe omniū
pulcherrimas oculos vere sydereos attollere non sinit.
Scio alias esse causas mutationum publicarum, in o-
ctaua sphaera, & stellis quæ ibi reptitant, quarum ra-
dij, motus, & ad certas monarchias perpendiculares
inclinationes, accessus item & recessus, non vulgares
mutationes hodie nō minus minitantur, quàm olim.
Sed adhuc voluitur cælum, cuius axis cum suo verti-
cillo

cillo in manu Domini est.

De cauda Cometarum, & vnde illius motus
& ad varias mūdi partes inclinatio.

Cap. 16.

Cometarum caudas à quibus caudatæ stellæ nomen habent, rerum celi & naturæ interpretes eò accuratius obseruare consueuerunt, quò pestilentius virus iaculantur ac dispergunt: pro cuiusque mole & magnitudine. Nec id solum propter se, sed ob motionem, aspectum & inclinationem quam celo duce ad certas stellas & mundi partes habent: de quibus loca excipiendis calamitatibus obnoxia erui, audies postea. Sed pro martiæ stellæ gressu in proprio Epicyclo, vel, vt alijs placet, alterius planetæ qui in Cometa loco & eius generatione, nec nō in incensa materia prærogatiuarum punctum omne tulerit, caudas huc vel illuc (vt antea dictum est) agi rapique volunt eumque celi tractum plurimum affectare, ad quem motrix imperatrix ue stella traxerit, aut annuerit. In Septentrionem vel Meridiem si eò aurigans astrū iter tenuerit. Cuius rei causas non aliunde exquirūt, quàm ab ipsis planetis illarū (vt ita dicam) pedago

Vnde motus
caudæ Come-
tarum.

M iij gis

gis, sed omnium maximè à Marte, sine quo visam fuisset caudam in Cometa praesertim quae fuerit insignis, (tanta est superiorum cum inferioribus *quo'voix*) apud praescos Astronomos, quod sciam, auditum fuit nunquam. Caterum hic neque negligendum, neque tacendum arbitror, quod Cometa ex diligentissima observatione multorum, atque adeò Apiani & Gême (quos de omnibus ob insignem diligentiam pari eruditione illustratam huc profero) caudas quam rectissimè à Sole in contrariam partem semper extendisse visi sunt. Quod unum audiat Georg. Valla qui in secundum Plinij, philosophos aliter sentire, nisi falsus est locus, & scripsit & adnotauit. Quanquam id ad comam detorquere etiam potuit: cuius projectionem in longum magis quam latum proferre solent crinitae. Vt ut se res habebit expertis & rerum mathematicarum peritis fixo pede haerebimus, illorum observationes nostris, ubi licebit, cumulatim confirmaturi: an verò ipsa caudae rectissima extensio in contrariam partem à Sole, per refractionem fiat nec ne, quia dubium adhuc est, suspensam tenere malo sententiam, quam ea in re ineptias meas palam ineptè proferre: interim monuisse satis esse ratus, caudam ipsam à toto corpore nihil differre, nisi quod rarior, aut leuior plerunque existit. Vnde propter raritatem remissius

lucet

Caudae Cometae
tarum prospectus
& conuersio.

Cauda Cometae
tarum, à toto
corpore in quo
differat.

COMETOGRAPHIAE LIB. I. 95

lucet, & ob leuitatem sursum mobilis admodum tendit. Quam teretem esse quia haëtenus fidem fecit obseruatio: idcirco aut Cylindroides aut conoides visa plurimum fuit. Sed de cauda satis.

Historia visi Cometæ, cum proprio eius loco, & caudæ motu diuerso. Cap. 17.

SCio hic non defuturos qui historiam eorum quæ de loco & motu crinitarum, atque adeò de cauda haëtenus scripsimus auidissimè requirent: vbique nihil omnino credètes, nisi quod ab ipsis aut alijs fide dignissimis constanter visum fuit ac probatum: tanta est humanæ mētis etiam in his quæ ratione constāt citra oculorum fidem cecitas & peruicax nescio quæ obstinatio. Itaque vt his ex animo obsequar, historiā à Ioanne Regiomontano viro in rebus mathematicis ad vnguem factō & scriptā & obseruatam in medium profero.

Idibus Ianuarijs (inquit) anno Domini millesimo quadringentesimo supra quintum & septuagesimum visus est nobis Cometa sub Libra cum stellis Virginis: cuius caput tardi erat motus, donec propinquum esset spicæ: nunc incedebat per crura Bootis, versus eius sinistram. A qua discedēdo, die vno naturali

Cometæ descri-
ptio diligentis-
sima.

turali portionem circuli magni quadraginta graduum descripsit. Vbi cum esset in medio cancri, maxime distabat ab orbe signorum septuaginta septem gradibus, & tunc inter duos polos zodiaci & æquinoctialis ibat, usque ad intermedia pedum Cephæi: deinde perpectus Cassiopeia super Andromedæ ventrem. Post gradiendo per longitudinem Piscis septentrionalis, vbi valde remittebatur motus eius, propinquabat zodiaco, transiens ipsum iuxta medium Arietis, donec cum stellis Ceti occasus Heliacus illum nobis occultavit in ultimis diebus Februarii. Hoc motu suo proprio, circuli magni portionem descripsit: quo in Septentrionem, & cum hoc contra signorum successionem ferebatur à Libra in Arietem, in fine & principio tardè movebatur: in medio verò apparitionis velocissime: vno die ferè per quatuor signa à fine Virginis in principium usque Geminorum. Et secundum naturam sibi ascribendam motum continuasse debebat, donec iterum reuersus in Libram apparuisset, & forsitan taliter motus fuit, quoniam in eius occasu magnæ adhuc erat quantitatis: tamen propter figuram eius ad Solem, & maxime in plagis Septentrionalibus, ægrè in fine suæ apparitionis, videri poterit, nisi meridiem versus in diebus Aprilis si motus sui regularitatem seruasset. Cauda verò eius minus mobilis, continuè

Prodigiosus
Cometæ motus.

Caudæ motus,
locus & inclinatio.

COMETOGRAPHIAE LIB. I. 97

continùè respiciendo *Stellas Geminorum*, eas circuibat: nunquam ab eis pertotum apparitionis tempus deuians. Ideòque in prima emersione, ad occidentem illam protendebat: quoniam illic *stellæ Geminorum* putabantur. In fine verò *Cometa* sub *Ariete* locato propter *Solis* vicinitatem nisi in occidente apparuit, cauda orientem versus protensa, quia in hoc situ *stellæ Geminorum* ponebatur. In medio verò apparitionis caudam vertebat ad *Meridiem*: illic tunc erant *stellæ Geminorum*, contingebatq; tunc nocte eadem, ut statim post *Solis* occasum cauda orientem respiceret. Appropinquante medio noctis respexit meridiem: post medium noctis verò occidentem. Ante *Solis* exortum indicabat locum *Septentrionis*. Hæc caudæ diuersitas in situ, ex motu diurno oriebatur: qui semper est ex consequentia primi mobilis ab oriente in occidentem. Motu autem proprio extremitas caudæ quauis tardius quàm caput *Cometæ* semper tamen etiam ad occidentem contra signorum successionem describens parallelum, à principio *Libræ* vsq; ad medium *Tauri* mouebatur: vadens sub pedibus *vlulantis* per *Vrsam* maiorem propinquando *Perseo*: per quem circa *Pleiades* ad caudam *Arietis* ibat ferè in medio *Tauri*. Vnde patet tam caput quàm caudam *Cometæ* versus occidentem, & nunquam ver-

N sus

Mirus *Cometæ* motus & planè cælestis.

sus orientem iuisse: non solum motu diurno, sed etiam proprio. Hactenus Regiomontanus, ex diligentia Jac. Ziegleri, qui hanc de Cometa historiam cum suis in Geneſim conceptionibus nobis impertire non est dedignatus. Alia qui volet, legat Petri Apiani Astronomicum Cesareum. Ad hec Peurbachij, Walteri & aliorum observationes Eclipsium, Cometarum, Planetarum ac fixarum aliquot Stellarum: atque adeo vnius Regiomontani ex quo presentem historiam hic tibi transcribere visum fuit: cum ob admirabilem hominis fidem, diligentiam & mathematicarum peritiam, tum etiam ut ex ea in dubitationem accersant rerum celi & nature studiosi, num tam stupenda motionum varietas de materia & elementis pendere possit, an vero à celo. Et rursum num hinc dicendus sit Cometes celestis potius quam elementaris. Quod tu ipse per otium & compositam animi intelligentiam si minus fateris, saltem de eruditorum sententijs ceu de Lydio lapide quidquid id est, probare satage. Ceterum si ex centenis Cometis vix vnum tam prodigiosi motus reperiens, culpam in observatores reijcere omnium maxime debes: qui oscitanter & perfunctorie quidquid his in rebus hodie extat (paucos exceipio) tradiderunt, & de scripto exposuerunt. Quod an crassa quadam rerum celi ignoratione, an vero invidia,

&

Qui observationes fecerunt Cometarum.

Cometa vere celestis.

Et negligentia despectu ue factum fuerit, censebunt alij. Certè nobis hodie cura longè diligentior esse debet, cum in his tum alijs plerisque omnibus. Itaque et celum & rerum naturas iam iam diuum fauore feliciter apertas, nepotibus apertiores relinquere ex animo studeamus: ac seposita auri sacra fame, artes additionibus nostris deinceps locupletare, & posteritati hereditarias facere meditemur,

Hæc viderint posteritatis immemores.

*Hoc lex, hoc pietas, hoc vult Deus, omnia non dans
Omnibus, insigni pro bonitate sua.*

Verum his de rebus cum hic, tum alibi à nobis philosophatum satis. Quæ quia profunt, decies monuisse nihil nocebit. In quo vno manum postremam huic libro tibi admouemus.

*Finis libri primi Cometographiæ Antonij
Mizaldi Monsluciani.*

N ij

Antonii Mizaldi

MONSLVCIANI COME-

tographia,

LIBER SECVNDVS.

Vtilem esse futurorum præuisionem: & quas in genere calamitates Cometæ portentant ex philosophorum placitis, & poëtarū descriptionibus. Cap. i.



Hactenus quæ à nobis scripta sunt, tãquam leuis armatura prima erunt instituti nostri excursio. Nũc demum restat vt cominũs curriculum secũdum ingrediamur: in quo viam ad crinitarum portenta & prodigia perfacilem aperire est animus: cũ ex antiquorum & recentium obseruationibus, tum etiam de authoritate, ratione ac gentium, populorũque historijs, quatenus tenuis nostræ Minervæ captus subministrabit. Quæ omnia ita erunt consideranda & accipienda, vt in nobis rectã & piam de Deo Opt. Max.

Cometæ Dei
ministri & nũ
tii.

Max. sententiam confirmant: qui & ministros suos
 sæpenumero facit flammam ignis, & portenta in re-
 rum natura, qualia visum erit excitat, atque in futu-
 rorum signa erigit. Quorum prævisiones præter quã
 quod (vt scripsit Ptolemæus) animos componunt ac fir-
 mant, absentiumque calamitatum meditatione, per-
 inde ac si præsentessent erudiunt, vt vëturum quid-
 quid est, cum tranquillitate & constantia patien-
 ter ferant, etiam publicarum ac priuatarum mutatio-
 num vicissitudines, quales Domino præscribere colli-
 bnerit, ex alto quasi de specula, populis eorumque re-
 ãtoribus palam indicant & premonstrant. Quæ o-
 mni ex parte si minùs amoliri, saltem prudentiã, &
 piorum precibus (quod omnium primùm dictum o-
 portuerat) premolliri vtcunque poterunt: atque Dei
 iram morum emendatione flectere, & moderatis cõ-
 filiis publica mala temperare. Nam portenta huius-
 modi scelerum nostrorum plerunq; sunt flagella: quæ
 etsi sæuum nescio quid minitantur, possunt nihilomi-
 nus plãctu, ieiunijs et supplicatione mitigari. In quo
 probandas nũquam iudicaui Stoicas multorum opi-
 niones, qui fata & impendentia mala mutari, miti-
 gari ue posse negant. Qui sciens est, inquit Ptolemæ-
 us, potest multos stellarum effectus auertere (quando
 naturam earum nouerit) ac seipsum aliosque ante e-

Futurorũ præ-
 uisio quid cõ-
 modet.

Ptol. Aph. 5.

N iij uentum

uentum præparare. Quando itaque calo nunquam sunt, vt loquitur poeta, spectati impunè Cometa: ac nunquam futilibus excanduit ignibus aër: quando fatales regnorum, hominum & rerum aliarum casus & mutationes de crinitis & ignitis cali phenomēnis nuntiantur, quæ naturaliter omnium hominū animos tum cū aspiciūtur in tristia suspiria & portērosa conuertunt: quando non tantum aspectus gratia in mundo sed rerum futurarum certissima sunt signa, quemadmodum omnium seculorum euētus nos hætenus docuere, dicam pro mea tenuitate paucis et accuratè nec non quantum feret materia, apertè de crinitarum portentis eorundēq; qualitate, & quātitate: adhæc de regionibus & populis quibus minitantur, vnà cum tempore in quo sese exerent, vigeant, & alia. Quæ priscorum, recentiorūque obseruationibus, necnon ratione & authoritate, historiārūque fide, ne quis commentum dicat, quātum suppetabit ingenij tenuitas, sic tueri firmarēque studebo, vt tibi factum esse satis dicas. Itaque vt verba in rem conferam, scribere primū aggredior quid in genere significant Cometa: quid aduehāt, & calo duce portendant. Rerum cali & natura magistri Arabes, Græci & Latini tradūt, crinitas propterea quòd (vt diximus) Martiales ferè sunt & Mercuriales

vniver-

Quid in genere & in vniuersum portēdant Cometa.

vniversali significatione portendere ventos, aquarū penuriam, annonae sterilitatem, pestem, bella, & quae illa sequi solent, aut his affinia esse: pro stellarum vi & natura, à quibus excitantur, reguntur, aut sursum pertrahuntur, nō neglecto interlunij cuiuslibet magistro & hospite, quem Ptolemaeus historiae rerum calī scriptor incomparabilis vbique diligenter obseruandum praecipit. Dominator (inquit) seu hospitator interlunij cardinalis si fuerit, quaecunque illo mense futura sunt significabit. Qui si felix erit & amicae naturae, de portenti ferocitate aliquid deradet: si infelix & sinistrè collocatus, contrā. Nam quales sunt in caelo stellarū sedes, motus, radij, & aspectus talia deorsum abdita via instillant, defluunt ac seminant. Et fortasse quemadmodum aëris temperamentum corrumpit stella, ita Cometa eius, vt sic dicam, fetus & partus venenata quadam qualitate & putri illum etiam insicere potest: quae qualitas ab infausto stellarum positu, & horribili pestilenti quae luminis commistione in corpus Cometa defluxit: & inde per aërem vi occulta vsq; ad nos reptitauit: ea mala saepenumero aduehens, quorum partem bonam paucissimis versibus hisce Marcum Manilium poetam & philosophum ad vnguē factum (vbi de Cometis loquitur) in hunc modum expressisse audies.

Aphor. 34.

Marc. Manil.
lib. 1. Astron.

Squat-

Squallida delusi(inquit)nunc plorant arua coloni.
 Et steriles inter sulcos defessus arator,
 Ad iuga mærentes cogit frustrata iuuenços:
 Nunc grauibus morbis & lenta corpora tabe
 Corripit exustis lethalis flamma medullis:
 Labentésque rapit populos,totásque per vrbes
 Publica succensis peraguntur fata sepulchris:
 Quin & bella canunt,varios,subitósq; tumultus,
 Et clandestinis surgentia fraudibus arma
 Ciuiles etiam motus,cognatáque bella.

Deinde hoc addit ἰν ἑκάστῳ μὲν,
 Nunquam futilibus excanduit ignibus aër.

Poëtarū testi-
 monia de Co-
 metarum por-
 tentis.

Reliquum absoluisse mihi videtur in suis Meteo-
 rologicis Pontanus ita scribens:

Ventorum quoque certa dabunt tibi signa Cometa:
 Illi etiam belli motus,feráque arma minantur
 Magnorum & clades populorum,& funera regū.

Rursum Aristotelicus poëta,
 Tu steriles agros & inania vota coloni

Siccus & effluens dire Cometa facis.

Cum crinem ostentas , tunc ventorum impetus vrget

Oppida: tu bellum sanguinolenta moues.

Principibus lethum tu seditiosa minaris:

Sic mundus varijs ducitur auspicijs.

Extant & apud Aratum in Phenomenis crinita-

tum

rum physicae significationes, siccitatum in primis & sterilitatis: quas Cicero sic nobis versibus reddidit.

At si contigerit plures ardere Cometas,

Inualidas segetes torrebit sicciior aër:

Nam quæ prorumpunt natura legibus ultro

Spiramenta soli, si iustus defuit humor,

Arida per cælum surgentia desuper altè

Ignescunt flammis, mundi que impulsa calore

Excuiunt stellas, & crebro crine rubescunt.

Horum omnium causas præcipuas & primarias cum Ptolemaeo & antiquis, stellas à quibus vocati fuerunt Cometa statuunt, sed maxime Martem & Mercurium retorridæ naturæ planetas. In quo Iouia num sic suffragantem profero:

Tu verò (inquit) quod decernit Mauortius ignis

Infelix cæli sidus, quod nuncius Arcas,

Hoc dirum in primis statuas signare Cometem.

Nam pro horum aliarumq; stellarum, quas hic non omnino excludimus, motu, & ad Cometam habitudine, radio, imperio & loco, astipulante vniuerso penè cæli vultu, aërem nunc in hos, nunc in illos excessus insigniter mutatum fuisse, & in diuersas qualitates per decretoria crinitarum tempora abiuisse, hætenus obseruatum ac probatum, nobis quasi per manus sedula reliquit antiquitas. Sed quidquid est enu-

○

mera-

Mars & Mercurius significationū crini, tarū authores præcipui.

meratarū significationū, cū philosophis, qui causas in materia venantur, & circa illam fines constituunt, penitiūs, si placet, disquiramus. In quo si quæ decet & volumus non præstamus, saltem quæ pro loco, tempore & ocio possumus, cādidè (vt omnia) impertimus.

Cur æstus, siccitates, ventos, vredines & quandoque pluuias vniuersali significatione & physica portendant crinitæ. Cap. 2.

Quomodo æstus & siccitates promittant Cometæ.

AEstus & siccitates ideo à crinitis portendi & significari scies, quia per illarum tempora, effusionum aspirationūque calidarum & siccarum ingens multitudo, longè latèque per vniuersum aërè, vt furtim summa petat, motu indefesso & visum omnem fallente, affatim & continuo decerrat. Quæ cum ἐμπύρευμα (vt loquuntur Græci) & ignitum vestigium quā transit, relinquat: fit hinc vt neque nubes à frigido tunc temporis cogi, & aquam vlla ex parte stillare possint: vnde aër retorridus et insigniter siccus (pro tempestatū anni & solis cælitq; ratione) passim habetur, vredinem seu ξαύρα alicubi inducens, quem hic herbarum, fruticum arborūque morbum interpretamur: qui in vitibus carbunculus dicitur, in ceteris rubigo, sata, plantas & arbores tenellas adierēs

Vredo, carbunculus & rubigo.

res. Quāquam à vitiato humore oboriri etiam potest. Caterū in his obliuioni nequaquā dādū est, quod per Cometa tēpora aēr ingentes quandoq; pluuias aliquot menses effundere visus est. Vel quod planeta authores tunc cum pluuiosis stellis in humido signo degebant, sed hoc physicū non est. Vel quod post ingentissimum & diuturnum calorem (quemadmodum in nostra Meteorologia adnotauimus) lōge pluuiæ & magna, rerum quadam vicissitudine, reuocato in suam harmoniam cum tellure cēlo, cadere sæpenumero consueuerunt. Iam quod ad ventos attinet à Cometis promissos & significatos, hanc in præsentiarum qualem cūque excipe rationem. Quia exhalatio ventorum materia & crinitarum fomentum, cumulatissimè sursum commeauit, & laxatis terræ spiraculis, etiam post extinctum Cometam nedum antè, copiosissima euolat exilitque: mirum videri nō debet, si ab ingenita vi, cēlo vbique aurigam agente, per vastum aērem effusa cōtinuos ventos ac validos fouet, rupis que claustris & solutis habenis per inane errabunda vagans, moto aēre (nam Seneca nihil aliud sunt venti quā agitatus aēr) illos affatim parit & deorsum retrudit. Nam tota in vniuersum pro inquieta sua natura in sublime tam exactè rapi non potest, quin vestigia, eāque non dubia, sub

Quomodo crinitæ pluuias portendant, & quando.

Cur crinitæ ventos portendant.

O ÿ

medio

Quæstio ad
modū ardua et
difficilis.

Responsio ad
quæstionem.

medio aëre palàm deponat ac relinquat. Verū enim-
uero versatus in philosophica arena quispiā de gre-
ge eorum qui nihil non in quæstionem conuertunt, hic
fortasse obijciat, halituum copiam tantam sublimem
rapi non posse, quæ tantos, tamque potentes molietur
flatus, ut etiam ingētissimas arbores radicitus euul-
sisse, & ædificia à fundamentis diruisse, magnosque
lapides in aëra, non sine stupore sustulisse visi sint.
Qualem inualecente spiritu per tempora cuiusdam
Cometa, claro die in Aegyptios lacus decidisse au-
thor est Aristoteles. Huic abundè factum satis esse
putabo, si ex Academia placitis opposuero, celi vi-
res etiam in materia minùs parata ubique potentissi-
mas esse, & cum paucis multa posse. Ad hac turbam
sursum continuò meantium aspirationum, congemi-
natis viribus & subinde recollectis, dato obstaculo
& facta ex momento vi celi noua accessione, in ipso
occurso plurimùm valere: atque ex præsentè repercus-
sione, violenta impulsione, subito descēsu, mutuo coi-
tu & alijs causis tam validam esse, ut in modū ful-
minis è nube prorumpētis & pulsare & furere &
vim incutere egregiè possit. Quam aspirationū mul-
titudinem, si magnam, potentem & numerosam esse
mihi negare perrexeris, tibi proferre nihil cūctabor,
doliare Cometas & alios enormis quantitatis sub
prodi-

prodigioso igne conspectos, qui ex antiquorū fide atq;
adeò ex Seneca & Regiomontano totos sex menses,
imò verò annum integrum, sicuti adnotauerunt Iose-
phus & Eusebius exarsisse visi sunt, & quartam ca-
li partem, aut si vis signa tria (Hemisphærii dimi-
dium) sub ingenti longitudine, latitudine & pro-
funditate non sine horrendo prodigio occupauisse.

Horrendi &
prodigiosa Co-
metæ.

Quæ res contingere haudquaquam potuisset, nisi toti
aspirationum, vt sic dicam, montes, via omnem pro-
spectum fallente, vi cali sursum furtim conscendisset.

Quarum incendium vnà cum mole etsi de nostro vi-
su, quem centesimo passu, in altum hebetari tradide-
runt Optices periti, magnum iudicari agrè potuisset:

nihilominus luculentissimo quouis igni luculentius,
& magna quantunuis sylua ardētē, ingentius fuisse
existimandum est. Quod de caelestibus astris osten-

Cometæ quan-
tunuis parui,
magni sunt cē-
sendi.

dere facile erit: quorum omnium minimum, quod vel
de prospectu notari potest, licet puncto minimo mi-
nus ferè appareat, nihilo secius terra decies octies, si
vera sunt quæ scripsit Alphraganus (Venerem, Lu-
nam & Mercurium excipio) maius esse censendum
est. Itaque incendiorum summæ regionis aëris immē-
sitas & magnitudo, de nostrorum oculorum hallucina-
tione posthac metienda non erit: qui quantunuis
perspicaces fuerint, ardentem syluam, urbem, aut do-

O iij

num

Distantia radi-
um ocularem
decipit,

Distantia à ter-
ra ad proximū
Lunæ locum.

num, vel de viginti miliaribus (quod summum est) si prospectauerint, eius flammam etiam ad prodigium usque vastissimam, vix cum paruolo igne, & inflā-
mato lignorum fasciculo component. Quæ distantia, quid per Deum immortalē habet proportionis cum eo interstitio quod est à terra ad proximum (sic satis) Lunæ locum ubi ardent Cometæ? Quod ex Leupoldo Austriaco (quem hic quàm Plinium ob falsam hypothesim libētius sequimur) cum 107250. ferè miliaribus à terra distet, quæ leucas nostrates, 53625, cōstituant, tibi æstimandum relinquo, quid iudicij ocularis radius in tanta distantia habere possit. Sed de his hætenus satis.

Cur aquarum penuriam, annonæ inopiā, pestem, seditiones, bella, acutos morbos & similia prænuncient Cometæ, ac significant,
Cap. 3.

Aquarū penu-
ria vnde à Co-
meta significetur.

Quanquam de superioribus satis superque innotescere arbitror, cur aquarum inopiam de aeris siccitate, visus Cometa sæpenumero nuntiet: tamen ne non philosophiæ candidatis in omnibus me facile exhibeam, id ipsum clariùs & proinde apertius hūc in modum expedio. Terra halituosum & pinguiusculum

cūlūm pabulūm multūm, crinitis sufficiēdo, & lōgo tempore subministrando, quia aëriū spiritūm & vaporosū, quē copiosū intra se habet, laxatis per crinitarū constitutionem vi calī proprijs claustris, quā data porta foras exhalare sinīt: idcirco fontanis aquis (quā philosophis à vaporoso aëre in terra visceribus vmbra graui pressō, & in aquā addensato sunt) fomentum idoneū tantisper dum quod exhaustū ēst direptūque resarciatur, commodē sufficere non potest. Vnde aliquot mensibus fontes, quibus scaturientibus etiā perlabuntur flumina, exarescere, & de sublata causā ociante effectō exinaniri ac resiccati, à natura alienū esse haudquaquam cogitabis. Annona penuria & sterilitas hanc habet rationem. Quia terra tot tantisque exhalationibus sursum per Cometa tempora continenter missis, mittendisque, celestium ignium ductu exugitur, ac clausos in se vapores, quasi rupto aggere volēs nolens diripi sinīt: idcirco iure optimo siccior euadit: atque aëri, ut postea guttatim deorsum stillēt, ac inferiora madefaciat & irrorēt, pabulūm pluuiūm refundendū penitus negat. Ex quo fit ut humidī penuria prorsū infecunda euadat: ac sterilitatem nuntiam famis perinde atque pestis, passim pro foribus sistat. Nam quē siccōs habent vteros, quemadmodum ter

maxi-

Annona penuria & sterilitate quomodo portendat Cometa.

Aph. 63. sect. 5 *maximus testatus est Hippocr. non concipiunt: defec-
tu enim humidi semen corrumpitur, arefcit, nō ali-
tur, ac perit. Vnde cum antiquorum plerisque rectè
admodum dixisse mihi videtur Pindarus, αἰσὼν μὲν
ἴδαρ. Caterùm quod attinet ad pestiferos, lethales et
exitiosos morbos à viso Cometa significatos, hunc in
modum nos philosophari sustinebis. Quia aër, què
post diuinum Hippocratem, Galenus & cum eo pe-
ritissimorum medicorum filij omnes, ad corporum
& animorum temperamenta, salubritatèmq; fa-
cere plurimùm contendunt, ac morborum ferè omniũ
vnà cum victus ratione causam statuunt (quique, vt
elegantè scripsit Hieronymus Fracastorius, poëta et
medicus doctissimus,
Terram circum diffusus in omnem,
Vnus saepe graues morbos viuentibus adfert,
Et faciliè affectus mortales afficit agros)*

*Per Cometę tempora, à latis sursum omnis gene-
ris & plerunque venenatis halitibus insigniter af-
ficitur, incalcescit, & penè dixerim, retorretur, dubiũ
non est quin periculosos, & vt loquuntur medici, acu-
tos ac precipites morbos in hominũ corporibus pre-
bendi paratissimis palàm, conspirante calo, exciter.
Nam vigente tali tempestate inspiratus aër pestilen-
tissimè excoctus, & per arteriarum oscula aliàque
ostiola*

ostiola rarefactis & apertis totius cutis spiraculis,
 (quorum corpus Hippocrati & Galeno vndecūq;
 plenum est) intro admissus, spirituum omne genus fa-
 cile depraedatur: humoresque ipsos cum sanguine de-
 ploratissimè adurit, vitiat & labefacit. Ex qua in-
 temperie febres lethales oboriri, & huius faui mor-
 bos alios, nō tam es ab Hippocratica philosophia a-
 lienus, quin vel me tacente vltro libèter fatearis. Bel-
 la, furores, tumultus, seditiones & huiusmodi calami-
 tatum seminaria alia, Cometas quandoque ex alto
 præcinere, abundè docebit Galenus, qui post Aristo-
 telem de libello & probatum & confessum reliquit
 animorum motus corporum temperaturas sequi, &
 contrà. Qui motus tales esse plurimùm consueverunt
 quales sunt humores in sanguine confusi: qui vti cor-
 pus agitāt, ita animos sic vel sic faciunt, & compo-
 nunt. Pro quorum habitudine, & salubritate, quia
 ex Hippocrate, Democrito & veneranda antiqui-
 tatis summis philosophis ac medicis, plurimùm refer-
 re traditum est, quo in aëre degant & versentur, mi-
 rum non est, si pro diuerso illius statu, vnà cum corpo-
 ribus, immutantur, & illius affectiones consequun-
 tur. Quam rem vt facilius intelligas, hunc in modū
 familiariter tecum ago. Quia per Cometarum tem-
 pora, & post, vnus aër (quē dormientes, vigilantes,

Corpus vbiq;
 commeabile.

Bella, tumultus
 & alia cur por-
 tendāt Come-
 tæ.

P

man-

Aer corpora
nostra celerri-
mè mutat &
afficit.

manducantes, aut quid aliud actitantes, continenter
& necessario, velimus nolimus, inspirare cogimur)
ob calidarum exhalationum & siccarum quæ sur-
sum pro fouedis crinitarum incendijs affatim abie-
runt, relicto empyreumate, ut per $\chi\upsilon\omicron\omicron\gamma\upsilon\mu\alpha\tau\alpha$ insigni-
ter calet, & efferuescit: habetque æstuantis transitus
adhuc impressa vestigia: idcirco sanguinis riuulos,
& humorum miscellaneas in paratis & præcau-
tione destitutis corporibus ad similem intemperatu-
ram proritare, mouere & perducere facile potest: hoc
est calfacere, excoquere & in bilem fermentare. Cu-
ius furijs, ceu tedis quibusdã ardentibus admotis, se-
mel prehensum & extimulatum venerandum cor-
dis pretorium in τὸ πᾶρα χεῖμα (quod Græci dicunt)
ὀύμωσιν, aut, si vis, iritabilem vim & excandescen-
tiam, cui post Platonem Galenus sedem in corde a-
scripsit, exagitare & ignita, ut sic loquar, calce fati-
gare, incendere: & ut vno verbo absoluam, ex stulta
insanam reddere potest: eamque perniciem ob vici-
num malum, spiritui animali in cerebri plexu retisfor-
mi à sanguinis portione vaporosa, spirituosâ, & te-
nuiore elaborato, ex sympathia cõmunicare. Ex quo
motus indicibiles, & penè dixerim furiosos manare,
ac principes animæ facultates in multis insigniter a-
gitari, non est quod dubites. Nam animi motus, ex
Galeno

COMETOGRAPH. LIB. II. 115

Galeno & antiquis, corporum temperamenta sequitur. Itaque cum bilis, omnium quæ in corpore sunt accendi paratissima, per eam aëris constitutionem celeviter incandescat, multos ob insitam vim ad impetus violentos, incompósitos, & effrenes præcipitabit, ac animos ardente proprio freno, nunc ad rixas & discordias, nunc ad bella, et ex his furta, cades, rapinas, civiles tumultus, & huius pluma alia tartarearum furiarum seminaria, quo iure quaque iniuria promovebit: sed omnium maximè, biliosos, in eam scelerum lernam naturâ admodum proclives ac propensos.

Flavæ bilis natura, & vis in-composita,

Quod ita esse præter innumera historiarum exëpla, heroicorum poetarum princeps Virgilius imprimis testabitur, qui civiles motus Iulij Caesaris mortis præcedentes & sequentes describens, sic habet.

Non aliàs calo ceciderunt plura sereno
Fulgura, nec diri toties arsere Cometa.

Georg. lib. I.

Et Lucanus,

Ignota obscura viderunt sydera noctes,
Ardentemq; polum flammis, celoq; volantes
Obliquas per inane faces, crinémque timendi
Syderis, & terris minitatem bella Cometem:

Vel, ut alij, legunt, mutantem regna Cometem.
Hactenus de uniuersalibus crinitarum portentis: quæ
ad alias exhalationes per aërem incēsas (modò diu-

P ij turnæ

Aphorif. 97.

Naturā Come-
tas nō frustra
excitare & su-
stinere,

turna fuerint) prudēter etiam coaptare poteris. In cu-
ius rei fidem Aphorismū Lud. de Rigijs ad Patri-
archam Constantinopolitanum tibi profero. Vapo-
res (inquit) per aērē incensi & discurrentes, siue in
forma Cometæ, siue in alijs, infirmitates calidas, acū-
teq; naturæ designāt: prælia in super, & regnōrū dis-
sectiones, cum fontium fluminumq; ariditate. Curren-
tes hinc inde per omnes mūdi partes, malum vniuer-
sale commonstrāt: si in vna parte magis quā in alia,
ibi significatum magis erit: sed si omnes in vna par-
te discurrent, in ipsa erit extremitas omnium malo-
rum, simul & fames. hæc ille. Ceterū hic omitten-
dum non arbitror, quod non defuerunt nec item de-
sunt, qui volunt & sentiunt naturam, quam contra
Plinium iustissimam & providam ubique agnoscit
Hippocrates (ut quæ in necessarijs non deficiat, nec
in superfluis abundet: nec frustra, ut scripsit Philoso-
phus, quidquam molitur) in editissima aëris regio-
ne, & alijs eidem suppositis, prodigiosa isthæc incen-
dia aggredi, ut terra corpus ceu infirmum & lan-
guens, cælo medicum agente, à noxijs & superfluis
corrumpentibusque ac mordacibus spiraculis, qua-
lia sunt in nostris corporibus multa, per insensilem
transpirationem (nam confluxile ubique & cōmea-
bile est telluris corpus perinde atque nostrum) expo-
neretur

neretur & quoad eius fieri potest expurgetur: longē-
 que ab hominum sedibus, ne nobis, satisque & pe-
 cori noceat, quasi criticè emundetur. Nam cum ba-
 lituosa materia putres plerunque & impura, ma-
 leficeque & pestilentes qualitates sursum ducuntur:
 quæ si per terra gremium in quo nos nostraque fove-
 mur diutius serperet, nec præfixis à Deo temporibus
 quasi criticè, ut dictum est, qua patet altior aer sedu-
 lō vacuarentur, & ardendo procul in favillas abi-
 rent, pessimum virus non sine graui rerumque homi-
 numque ruina, perditissimè exhalarent. Scio esse nō
 nullos qui omnino arbitrantur crinitas statim tempo-
 ribus à Deo & natura excitari, ut parte incendiij il-
 larum puriore & excocta magis, elementaris ignis
 foueatur ac refocilletur: quod de aliorum elementorū
 Metamorphosi & palingenesia demonstrare sata-
 gūt. Quæ res quàm bellè sit excogitata, volebam di-
 cere somniata, acutioribus ingenijs excutiendum re-
 linquo. Concludoque cum summis rerū celi & natu-
 ræ philosophis, Cometas augurale aliquid & formi-
 dabile semper portendisse: annumque totum etiam
 sequentem (ut scripsit Seneca) suspectum, tristem &
 luctuosum reddidisse. Quod ad cadentes stellas &
 ignitas aeris traiectiones pertinet, nōnulla in fine hu-
 ius per occasionem ex Ptolemæo & antiquis parti-
 cularim audies & accipies.

Cometarū incē-
 dia, quodāmo-
 do necessaria
 & critica,

Cometæ etiā
 sequentes an-
 nos tristes red-
 dunt.

P iij

Vnde

Vnde Cometæ Regum, & summorum virorum, ac foeminarum mortem prælagiāt: & quid ea in re obseruandum, & quatenus ibi philosophandum. Cap. 4.

MAgnum scrupulum hæten⁹ mihi iniecit illud, Cur Cometa Regum & Reginarum, principumque virorum mortem potius nuntiare & portendere vulgò existimentur, quàm aliorum quorumlibet. Ego, ut quod sentio, imo verò quod omnium est verissimum, omnium primum verè dicā: credo haud dubiè causam præcipuam esse in immortalis & sapientissimi sæculorū rege: de cuius iudicio, verbo & nutu regum omnium non dicam regna & corda, sed & vita & anima stant atque cadunt. Ille quia flammam ignis, ministros suos, quandocunque visum est (ut Hebræis scripsit Paulus) facit: quia ignes & spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius, ut est apud regium prophetam, quando vult excitat: ne quæ ex improviso opprimat (tanta est eius clementia) per Cometam, ceu de signo dato, Reges commonefacere videtur, ut maturè sibi prospiciāt, ac de migrando seritò secum cogitent: propterea quod populi scelera illorum interitu, & gregis commissæ deliramen-

Cometa vnde
Regū mortem
prænuntiet.

ta pastoris clade plectere, & expiare constituit. Ioānes Damascenus adnotante Alberto, Cometam factorum regis praconem, re vera stellam esse existimat: non ex his quidem quae à prima mundi origine condita fuerunt, sed quas immortalis rerum calì & terra, atque adeò hominis architectator, sub insigni figura, ut insigne aliquid portendant, & celestis ira neminem non admoneant, dum vult, quoties visum est, & quomodocunque libet erigit, ac pro arbitrio figit & refigit, adponit & deponit. Quod de ea stella quae olim apparuit Magis abditorum Dei operum speculatoribus & interpretibus summis Christum adoraturis, multi probare, confirmareque satagunt. Quod sanè mirum videri non debet. Nam Deus Optimus Maximus omnia in sua habet potestate: quaecunque vult facit in caelo, aëre, aqua & terra: elementa, quò visum est, deducit. Illius imperio ignis de caelo, ab Helia est euocatus. Davidis tempore aër pestilentia gravissimè est contaminatus. Sol Iosue dimicaturus tanquam fixus constitit. Aquarum exuberantia & cataclysmo, terra facies quondam obruta fuit. Sol plenilunio eclipsi adumbratus est. Sterilitas & frugum inopia ingensque fames, Iosephi aetate fuit: adeò in celos & elementa valet summa Dei potestas. Sed haec quia theologia, theologis excutienda relin-

Cometā re vera stellā esse.

Summa Dei potestas in celos & elementa.

Physica ratio
cur Cometa sū
morū virorū
mortē signifi-
cet.

relinquamus: tractemusque fabrilia fabri. Alij eā
in rem philosophicè incumbentes, causam hinc erue-
re volunt, quod formidabiles morbos (vt antea adno-
tauimus) crinita plerūque portendat, significet &
cum suis parentibus planetis plurimū aduehat: quo-
rum semina quia in aëre venenatis & exitiosis aspi-
rationibus adhuc imbuto, latissimè spargūtur, & per
illum radices in corpora tam regum quam popula-
rium via imperceptibili, agente vbique celo, ex e quo
longissimè defigunt: fit hinc vt tam Rex quàm popu-
laris quiuīs per eam celi inclementiam periclitetur, et
quandoque succumbat. Sed quia Regis, aut summi
viri interitus, fama quę vires acquirit eūdo celebrior
euadit, quàm plebei cuiusuis, ideo viso Cometa tan-
quam fatali signo desuper misso, vulgò ascribi cōsue-
uit. Addunt quòd mortis formido principibus viris
de spectato Cometa semel concepta, ingisquę & assi-
dua emigrandi (vt putant) in augurata illinc phanta-
sia, presentem mortem, desperata vita, ad ferre sepe-
numero solet: nam facit in multis constans apprehē-
sio casum, oborta vel animi, vel corporis leuicula ali-
qua aegritudine. Ego vt hic de meo aliquid inspergā,
cum Ptolemao optimo celestis philosophiæ magistro,
facile crediderim visum Cometā, Regis, principisue
alicuius viri mortem, tum maximè prænuntiare, cū
à Sole

Alia ratio non
omnino absur-
da.

à Sole in vndecim signorū distantia apparebit in angulo horoscopi regni, & (vt quidam volunt) coronationis: vel in quopiam eorum angulorum fuerit, qui secundum Arabum placita, regni vel regis erunt. Cuius rei ratio à locorū dignitate, prerogatiua & principatu sumi potest. Sed ipsius Ptolemæi verba adscribere melius erit. οἱ δὲ κομήται ὧν ἡ ἀπόστασις ἀπὸ τοῦ ἡλίου

ἢ ἡ ῥάδια ἐστὶν, ὡς φανῶσι μὲν ἐν κέντρῳ βασιλείας τινὸς, τε- Aphorif. 100
& ultimo.

λατῆσι δὲ βασιλεὺς, ἢ μέγας τις αὐτῷ, quod est, Cometa quorum elongatio à Sole vndecim est signorum, si affulserint in cardine regni alicuius, interibit rex, vel magnus quispiam in illo. Seu vt habet vetus interpres: Cometa cum habuerint multos crines, & fuerint ascendentes, vel apparentes in angulo ex angulis regni vel regis, morietur rex eius. &c. Quod Haly Arabs Ptolemæi interpres multis sui sæculi exemplis illustrare satagit. Ptolemæo astipulatur aliqua ex parte Ludou. de Rigijs in suis Astrologicis Aphorif. Aph. 137. & hunc in modum ad Patriarcham Constantinopoli- 98.

tanum scribens: Mutantur (inquit) regna per Cometarum apparitionem in signis regijs, dum mouentur motu sensibili de vno signo in aliud, & magis dum vnà cum plures in vno anno erunt. Nam nunquam eueniunt sine magna mutatione regnorum illius climatis in quo apparuerint. In quam rem nonnulla in-

Q ferius

Historia ex
Trapezuntio.

ferius dum *Aphorif. Ptol. lectionem variam*, vsum
 & rationem tibi explicabimus, per occasionem pro-
 ferēda expectabis: te hoc vnū interim monētes, quòd
Georgius Trapezuntius, Ptolemgi Aphorif. ad sitū
 totius simpliciter referre mauult, quàm ad singulares
 regnorum vel regum figuras: vno atq; altero ex emplo
 idipsum probans. Apparuit (inquit) nobis pueris, vt
 à parentibus accepimus ingēs crinita in orientali an-
 gulo, quæ non parua velocitate ferebatur ad ortū: per
 cuius tempora *Thamyris Parthorum Rex, Tabur-*
lanum appellant, totā *Asiam* inuasit ac subuertit.
 Cumque iam in *Europam* transitum cogitaret, ac-
 cepta morte eius quem abiens regno præfecerat, in
 propria redire coactus est. Et in temporibus *Iulij Ca-*
saris, Cometa in angulo stans *Romanū imperium* in
 indigenam translatus iri, vnā cum morte *Cæsaris*
 significauit. Hac ille: cuius sententiam, sicuti postea
 audies, mordicus tenendā non censent iuniores, pris-
 corum rerum celi magistrorū præceptionibus & ob-
 seruationibus innixi. Quod vnū tu ipse posthac dili-
 genter probabis, vel pro te natorum nati, & qui na-
 scētur ab illis. Ceterum fatalem regis ex viso Come-
 ta exitū, certius metuendū esse existimabis, si Come-
 tes ipse in ea, aut alia cōstitutione quā posuit *Ptolem.*
 vnū quempīā locorū regis natiuitatis obsidebit, quæ
 Graci

Observāda in
prognosticis
Cometæ, super
morte Regū.

Græci Astronomi nōnunquā κλιμακτῆριν nunciant, aliās ἀφῆται, barbari ilegialia: nos interimentia, minacia & hostilia. Præterea si cū dominante illis stella exarserit, aut perniciosus planeta mortis testimoniū in Regis genesi habēs, iuxta peragratiōnū artem eō progressum fecerit: vel de quadrato, oppositō ue radio, loca illa absq; vllō beneficiarū stellarum præsidio violēter pulsarit: seu, vt habet Albumazar in diuisionis signo, terminō ue Cometes ipse incāduerit, vel cū illorum domino fuerit: aut rectorem, excitatorem ac parētem eū agnouerit. Quibus in rebus, cōsulendę etiā erunt eclipses, videndumque num cū superiorū planetarum coniūctionibus, si quę fuerūt, aut futura sunt, vlla ex parte cōspirent. Quod ad regni significatorem, & cathedrā seu inthronizatiōnis dominatorem, Ptolemæo in his diligenter obseruatum, non ineptē etiam coāptabis. Quū regni dominator, inquit, in locū climactericū, vel (vt interpretatur Trapezuntius) interimentē inciderit, tunc aut rex, aut ē regni principibus, magnus quispiam morietur. & alibi: Quum celestis constitutio quidpiam significauerit, adiutricibus etiam corruptiuis stellis (in quorum albo sunt crinitæ) vt non obliuisceris. Itaque si cum regni, aut creationis coronatiōis ue dominatore planeta ardere visus

Aphorif. 31.
& 13.

Quæ erit

erit Cometes, aut in eius hostili aspectu esse: ipseque
 ἡμετέριος in locum genesis minacem & interimē-
 tem eo anno ceciderit: cū Ptolemeo & antiquis ple-
 risque omnibus, sinistri aliquid aut regno, aut Regi,
 aut principum cuiuspiam, timendū esse iudicabis. Ra-
 tionem utcumque, si videbitur, disquiremus. Genera-
 tionis & corruptionis, seu vitæ & interitus, futuro-
 rumque bonorum perinde atque malorum causas in
 positione, radio, & motu celestium corporum per Zo-
 diacum, primi sæculi philosophos & Astronomos
 statuisse, nemo est (opinor) sans mētis qui negare per-
 gat. Cæpit quispiam aliquando rex esse, desijt etiam
 aliquando: atque tum maxime cū minaces stellæ,
 & quæ illarum sunt fatalis fætura crinita (quibus se-
 cundas post eclipses & superiorum stellarum con-
 iunctiones tribuit Ptolemeus) ad angularem &, uti
 diximus, lethale genesis, regni, aut dominationis lo-
 cum, volente cælo, venerunt: eoque certius, quò maio-
 res fuerunt & diuturniores, prodigiosumque capil-
 lamentum sparserūt. Nam tum magnarum virium
 se esse, & à potentissimis planetis, ac causis validis
 oboriri, ingentesque mutationes polliceri, & testantur
 & prænuntiant. Quarum rerum tota exemplorum,
 quod dicūt, nauigia apud historiographos, modò fue-
 ris diligens temporum, rerum nec non hominum cum
 calo

Generationis
 & corruptiōis
 causæ in cælo.

calo aptator, facile reperies. Porro quia contraria ex quibus corporis nostri fabrica constat, à calo per aëre affici & corrumpi omnium seculorū testimonio probatum est & confessum: idcirco ab eodem contrariorum effectuum & affectuum causas primarias petendas esse, rectè admodum sensisse mihi semper sunt visi diligentissimi quique Academia cultores. Neque enim fieri posse unquā putavi, ut ex crassa duntaxat & corruptibili, terrestrique materia, cui pati proprium est magis quàm agere, & affici quàm afficere, tanta corporum & animorum, rerumq; diversitas & inconstantia emergeret, nisi aliunde accerferetur, prodiret, ac manaret. Sed ea de re fusiùs à nobis alibi. Amplius quia in creando rege, quemadmodum adnotauerunt præsci, certa sunt calis loca statuta, quæ tum illi, tum regno felicitatem decernunt: ita quæ eidem infelicitatem minantur. Atque coronati regis quoniam futurus est aliquando exitus: sit ut illo recepto vel nascente, etiam in calo certus sit locus, in quem cum infelix stellarum cōstitutio incidet, rex ipse moriatur: si nullum omnino benefici astri præsidium interuenerit, cum in genesi, tum annua illius, & coronationis conuersione, nec non per tempora visi Cometa, quæ nunc nuper dictum est formula, eoque periculosius si luminarium eclipsis in angulis

A calo per aëre
re corpora affi
ci & animos.

Calis regibus
adesse & obesse.

Q iiij genitu-

Aphor. 24.

Comete futu-
rorum signa
habent.

genitura, vel annus peragratiōis cōtinget. Nam si
minus mortem, saltē sinistri quidpiam in bonis ani-
mi, corporis, vel fortune portendet. Quod Claud.
Ptolem. innuisse audies. Luminariū eclipsis (inquit)
in angulis natiuitatis, vel annuarum conuersionum
nocua est, &c. Quocirca priusquam de summorū
virorum morte à viso. Cometa certum aliquid statu-
as, & seriò affirmes: in his tribus iam positis dilige-
ter versandum tibi erit, cum apposita singulorum tē-
peratione simulque animaduertendum, nū regi mor-
tem, an fastigij potius diminutionem & captiuitatē,
an verò alicui ex primatibus damnū miniretur. Sed
in his philosophatum erit satis, vbi te monuero, per
Cometas tanquam per signa, isthæc vti etiā alia, præ-
dici magis (quemadmodum superiori libro ostendi-
mus) quàm per causas: non aliter quàm in augurijs et
auspicijs, in quibus per aues multa quidem portēde-
bantur, quæ per illas minimè fiebant. Quancquam in
stellis quæ Cometas pepererunt elementa afficiētib;
ac mutantibus, & hinc humores corporis nostri al-
terātibus, causas inesse, obstinatè negare nolim, cum
quibus Comete occulta quadam affinitate non nihil
commune habet, sicuti ante a nobis fuit adnotatum,
& fusius deinceps explicabitur. Alia quæ ad hunc
locum pertinent, cuiusmodi sunt vitæ & fortunariū
prædi-

prædictiones ex Cometa apparitione, de fine penultimi capitis huius libri accipies & intelliges. Hactaque sunt quæ in portenta Cometarum super regum et summorum virorum ac sæminarum morte, in mediũ proferre visum fuit: quæ si tu probabis, lector, qui improbare voluerint, satis negotij habituros puto, ut doctis suam improbationem probare possint. Nunc demum superest ut viam ad extruendum cæli schema pro Cometis idoneam tibi utcumque substernam: quæ duce, tanquam Thesei filo, ad labyrinthum portentorum cum vniuersalium & communium, tum etiã particularium familiaris dabitur ingressus & egressus.

Non omnia
omni in loco
dici possunt.

Quæ obseruanda in prima Cometæ apparitione, & quo tempore, qualẽ ue cæli schema erigi debet: aliãque non pauca ad portentorũ prænotiones gradũ facientia. Cap. 5.

Rerum cæli & nature obseruatores diligentissimi censent quæ primũ hora & tempore crinita supra horiZontem videbitur, siue id contingat in orientali parte, siue in occidua, aut alibi, per diem quod rarissimum est, vel per noctem, aut sub alterutrum crepusculum (quod frequentissimum esse solet) domiciliorũ cæli, seu, ut loquitur Manilius, templorũ schema

Crinita qualẽ
cæli figuram
exigant et quo
tempore.

schema ad polarem loci altitudinem iuxta artis precepta prudenter erigendum esse: signaque & sidera tam errantia, quam inerrantia, in suam quæq; classem fideliter digerenda. Adhæc spectandum qualis erit Cometa locus, quo in signo, quæ stella, & quatenus illi testimonium perhibet. Insuper quæ in parte signiferi, & figure locatus erit in odioso potius, & quibus in finibus deget: vnà cum eclipsis, & coniunctionis magna (si quæ præcessit) vel quadrantis anni rege & moderatore: non neglectis hinc inde alijs cum particularibus, tum vniuersalibus, tam à parte Cometa, quam celi constitutione: quemadmodum à mathematicarum prædictionum consultissimis fieri, & summa cura obseruari atque animaduerti solet. Nãque ab his significationum riuulos duci, perinde atq; ab exundantissimo fonte, ex sequentibus colliges. In quam rem absurdum non erit, Lud. de Rigjs sententiam ex veteri codice in lucem educere. Signa, inquit, quæ videntur in Sole vel in Luna, aut cum alijs stellis quæ apparuerint extra motum nature modo quoddam ignito, vt sunt Comete, cruces, columnæ et formæ alię: si horam considerabis in qua apparuerint vnà cum celi statu, certior fies de illarum significatione. Quamquam hæc nunquam eueniunt sine magna mutatione regnorum illius climatis in quo emerferint. Ad
quæ

Aphor. 98.

quæ monstrosa etiam corpora, & portenta alia refert, præsertim si numerosa erunt & insolita. Sūt qui mulò plura hic inspicere volunt: quod quàm ex priscomum mente, penes alios iudicium esse malo, quàm nō observata impudenter ne dicam temerè (quod multi faciunt) spargere, & ridiculè asserere. Licebit breui (ni frustra me artem vani docuere magistri) serio cuique ista explorare, & ad vnguem castigare. Quarū rerum tantisper dum aderit occasio, celestis philosophiæ cādidatos sedulò admonebo, sex cali domicilia, quæ supraterranea Latini vocant, Ptol. ὑπὸ γῆναι, hic in contemplationem omnium maximè venire (nam crinita perinde atque eclipses nunquam nobis alibi, quàm supra terram apparēt) nisi fortasse cardinales planetas, illorūque loca, habitudines, radios, & configurationes ad particularium apotelesmata penitus scrutari visum esset: tum enim domorum omnium negotium omne accuratè exequendum erit. Sed rerum cali elementarius hic quasi in luto hærens sciscitabitur qua via (quod in arte est præcipuum) explorare liceat signum, partēque zodiaci sub qua micare & cæperit & perrexerit crinita. Adhuc quātus illi debeat eclipticæ arcus, & in quo domicilio, aut qua horis statione, calī ut tractu versetur, cū demonstratione longitudinis ipsius, & latitudinis,

Mōstra, sua habere prodigia.

Quæ cali domicilia in Cometis contemplationē habent.

R nec

nec non profunditatis & similium. Quæ ut in præsentia explicem, compendij ratio prohibet. Nam talem cum demonstratione interpretationem exigunt, quæ etiam iustum volumen expleat: ut interim omit-
tā, quòd id pati mihi nō videtur cæpta instituti nostri
method^o, atq; adeò secūdi huius curriculi ratio: in quo

Aliud est do-
cere θεωρία,
aliud πρᾶξις.

crinitarum portenta & significationes, non θεωρίαι
& particulares probationes, tradere omnium maxi-
mè constituimus. In quo vno ducē habemus ac præ-
ceptorem, Claud. Ptolemæū, & alios: qui eclipsen,
genesean, aut rerum aliarum ἀποδείξεις traden-
tes, nudis præceptis & iudicijs contenti fuerunt, ali-
bi demonstrationes & artem prosequentes, aut de a-
lijs cognitam esse ac prospectam existimantes. Verū-
tamen ut rerum istarum συββῆδαι fontes indicem, ad
Ioannis Regiomontani problemata de Cometarum
magnitudine, longitudine, & loco placidè relegabo.

Qui de Co-
metarū demō-
strationibus
scripserunt.

Ad hæc ad Cæsareum Astronomicum Petri Ap-
piani, & vsum radij astronomici Gemmæ Frisij, ut
alios omittam: nam hi pro multis mihi habentur. Nō
sum nescius quidquid id est negotij, ex Planisphærio,
aut si mauis Astrolabo, etiam à mediocriter in ar-
te exercitatis utcumque expediri posse ac confici: quod
quia pueris & senibus tritum est, instrumentum in-
quam, non vsus vix dum bene certus & perfectus,

inuit

inuitante methodi nostra capta ratione, & acti huc
vsque instituti moderato sic satis curriculo, verbū am-
plius addere non constitui: te ad peritos rerum ista-
rum magistros tantisper relegaturus, dum facilia &
cuique familiaria eam in rem excogitauero.

De cognitione locorum quæ portētis cri-
nitarum obnoxia erunt: ad hæc qui populi
signis zodiaci duodecim, & planetis septem
illorum hospitibus subijciantur.

Cap. 6.

IN omni cælica & significatione & prædictione,
Quatuor ex Ptolemæi placitis, in observationem ve-
niunt, Locus imprimis cui ipsa significatio portendi-
tur. Nam ubique accidere non patitur calis & soli
cuiusque ratio. Præterea tempus, nimirū quando ini-
tiabitur promissum, & quanta erit illius duratio.
Tertio genus portētis obnoxium, ut si in hominibus,
in brutis, in frugibus, &c. Postremò significatorum
species ac qualitas, ut si ad bona, malā ue: vtilia,
vel inutilia declinabit. De quibus sigillatim dicere
constitui, à loco primum gradum mihi faciens.

Quatuor ob-
seruanda in
prædictionib⁹.

R ij Itaque

Loci confide-
ratio duplex.

Quæ in cælo
exploranda.

Quæ ex parte
terræ contem-
planda.

Cometæ hæc
nus pelsimè
obseruati.

Itaque locus, quòd ad Cometas pertinet, duplicè hic habebit obseruationem, vnã cæli, alteram terræ, agentis & patientis ratione. Nam vt cæli natura agendi vim habet, ita terræ patiendi. Ex cæli parte voluerum istarum periti, vt solerter omnium primum indagemus in qua illius plaga, ortiua an occidua, & quo interstitio affulgere occeperint crinitæ. Ad hæc quod & quale sit signum sub quo diuersatur, aut facta fuit coniunctio illas promittens. Insuper quem habeat hospitem, cuius sit trigoni, quis planeta designator, quem referat cum Cometa loco consensum, & alia inferius particularim excutienda. Ex parte terræ volunt itidem vt exploremus in quem mundi tractum verget Cometa, quæ prouintie, oppida, ac populi signo illius hospiti, vel dominatorem planetam emissorem ue capienti substernantur, cum proprio cuiusq; triangulo: Nam illis perinde atque etiam his quibus effulgebit, sua portenta ceu contagione quadam, aut potius occulta operum & rei quorundam impertire nihil cunctabitur. Iuniores astronomi præter hæc in contemplationem etiam accersunt signa iam dictis locis opposita, & quadrata. Quod quàm verè, docebunt suo tẽpore facta posthac his in rebus obseruationes. Quæ magni cum sint momenti, & à Ptolemaeo inter publicarum calamitatũ prognostica secunda dignitate, post

(post eclipses, & superiorum planetarum congressus) magnopere commendata, mirum est quod haecenus tam neglecte iacuerint. Multa his in rebus, quod de eloquentia scripsit Quintilianus, limabit aetas, plurima addet usus, multo plura concoquent anni. Sed φιλομαθὺς quispiam scire hic fortassis maximopere laborabit, quae regiones, oppida & populi singulis Zodiaci signis, & planetis eorundem hospitibus subijciantur, ut hinc certius, & exactius colligat, quibus minitetur triste crinitarum inhar, cum sub illis vel sua defiget tentoria, vel eò caudam iaculabitur, aut promissorem planetam & authorem in eis hospitē videbit, ut alia multa taceam. Huic ne non libenter obsequar (quid enim ad magna conanti, & honesta utiliq; petenti neget?) ex prisca & iunioribus rerum caeli observatoribus Chaldaeis, Graecis, & Latinis rem eam paucis hunc in modum expedito.

Arieti & Marti eius hospiti, ex Claudij Prolemeri distributione sub sunt, Britannia, Gallia braccata (Longobardiam hodie vocat) Germania, Bastarne (Trapezuntio Vngaria) Celsyria, Palästina, Idumaea, & Iudaea. Secundum Aegyptios & Doratheum, Arabia Aegypto finitima, & Babylon vetus. Ex Hipparchi & veterum Graecorum calculo, quemadmodum scripsit Ephestio The-

Arieti quae regiones, populi & oppida sub sint.

R ii banus,

banus, armo sinistro Arietis subiicitur Babylon, dextro Thracia, pectori Armenia, iij's Arabia, spinae & alius Persis, Cappadocia, Mesopotamia, Syria & rubrum mare. Recentiorum observationes, ultra priscorum nomenclaturas Arieti supponunt etiam Poloniam minorem, Burgundia ducatum, Sylesiam superiorem & Sueuiam. Adhuc Neapolin, Florentiam, Fauētiam, Imolam, Anconam, Forliuium, & secundum aliquos Capuam. Insuper Traiectum, Brunsvicum, Lindeam, Cracouiam, Massiliam, Casaraugustam, & Westriam partem.

Tauri regiones
populi & op-
pida.

Taurus cum Venere apud Ptolemaeum sibi incipiat Parthiam, Mediam, Persida, Cyclades insulas & Archipelagi, Cyprum & maritima Asiae minoris loca. Secundum Dorotheum, Aegyptum. Hipparcho & veteribus, Tauri cornibus subiicitur Media, dextris partibus versus aurigam Scythia, sinistris Armenia, & Vergilius Cyprus. Quibus adnumerant neoterici Poloniam maiorem, Russiam albam, Campaniam gallicam, Rhetiam, Heluetiam, Francouiam, Lotharingiam, Hyberniam & Suevis partem. Præterea Bononiam, Senas, Pistorium, Veronam, Salernum, Xenogalliam, Campaniam Italicam, Constantinopolin, Capuam, Teru-
siam

fiam quibusdam, Panormum, Thuregiam, Lucernam, Herbipolin, Metin, Brixiam, caput Histriae, Guesnam, Posnam, Nouogardiam, Nanceniū, Burgas Hispania, & Leipsiam.

Geminis & Mercurio subsunt ex Ptolemaeo Hyrcania, Armenia, Mattiane, Cyrene, Marmatica, & Aegyptus inferior. Secundum Dorotheum & Aegyptios, Cappadocia, Perrebia & Phœnicia. Ex Hipparchi sententia pedibus Geminorum Bœotia subiicitur, manibus Thracia, dorso Galatia, natibus Pontus, scapulis Phœnicia, & vertici India. Quibus accedunt ex recentium distributione Anglia, Sardinia, Brabantia, Flandria, Longobardia, Cesena, Rhegium, Nouaria, Taurinum, Vercella, Tridentum, Viterbium, Norimberga, Louanium, Mogūtia, Bambergæ, Brugæ Flandria, Villacum, Reitzinga, Hassfordia, Londinum, Corduba, & Lutetia.

Geminorū regionēs, populi & oppida,

Cancer cum Luna ex Ptolemai scriptis sibi inauthorat Numidiam, Africam, Bythiniam Phrygiā, Colchidā, & Chartaginē. Dorotheo et Aegyptijs, Thraciā cū Aethiopia. Hipparcho brachijs Cæci prioribus et dextris subiacet Bactriana: finistris

Canceri regionis, populi & oppida,

sinistris Scythia: pedibus dextris Armenia, Cappadocia, Rhodus, Cos, & Cyclades insule: sinistris Lydia, medijs (nam oestipes est Cancer) Asia minor. His addūt observatores neoterici, Armeniam, Aegyptum, Babyloniam, regnum Francia (maximè quā Aquilonem spectat) Scotiam, Scythas, regnum Granata, Burgundiam, Prussiam, Hollādiam, Sabaudiam, Venetias, Vicentiam, Mediolanum, Lucam, Constantinopolim, Genuam, Pisas, Lubecum, Treuerim, Merdeburgū, Gortitium, S. Andream, Bernam & Eboracum.

*Leonis regiones
populi & op-
pida.*

L*Eoni & Soli apud Ptolemeum supponuntur Italia, Gallia togata siue tonsa, Plinio cisalpina, nobis trāsalpina dicta: ad hæc Sicilia, Apulia, Phœnicia, Chaldaea & Orchenia: Dorotheo & Aegyptijs, Græcia, Phrygia, et fauces Ponti. Ex Hipparchi & veterum abaco, capiti Leonis Propōtis subseruit, pectori Græcia, aluo et caudæ Macèdonia. Quibus adscribit recetiorum observatio, Bohemiæ regnū, Turis partem, Aemiliam, Sabinam, Romam, Mātiā Alexandriam, Ravennam, Perusis partem, Cremonam, Damascum, Syracusas, Pragā, Vlmam, Confluentiam, Linceam, & Cremisium.*

Virgo

Virginis regio-
nes, oppida &
populi.

Virgo cum Mercurio habet ex Ptolemaeo Mesopotamiam, Assyriam, Graciam. Achaiam, Cretam & Babyloniam. Ex Dorothei & Aegyptiorum nomenclatura, Rhodum, Cycladas, Arcadiam, Laconicam, & insulas Oceani. Iuxta Hipparchi & veterum distributionem, dorso Virginis subest Ionia, medijs partibus Rhodus, & Peloponessus, tractui vestis, Arcadia & Cyrene, dextra manui Doris, sinistra Sicilia, & spica quam manu gestat Persis. Quibus inserit recentiorum traditio Ciliciam, Croatiam, Carinthiam, Sylesiam inferiorem, Prouinciam, Rheni partem, Aretinũ, Parmam, Tolerum, Imolam secundum nonnullos, Papiam, Beneuentum, Tarentum, Nouariam, Comum, Corinthiam, Telas, Vratislauiam, Cumas, Erdfordiam, Basileam, Heidelbergam, Segniam, Lugdunum (quãquam alij Libræ supponunt) & Tholosam.

Libræ & Veneri ex Ptolemai catalogo subsunt Libræ regiones
Bactra, Casperia, Sera, Thebais, Oasis & oppida & populi.
Troglodita. Secundum Aegyptios & Dorotheum, Cyrenaica, & Italia. Ex veterũ & maxime Hipparchi descriptione, summitati Libræ Roma subiicitur cum finitimis locis, ad hæc Tyrus & Thacorum insula non longè ab Arabia frugifera: medijs partibus

bus Aegyptus, Aethiopia, Arabia & Carthago: extremis, Libia, Cyrene, et vicina loca, dextris Sparta & Smyrne. Ex recentiorum adnotatione Thuscia, Austria, Asclauia, Elsatia, Sundgravia, Aethiopia, Linonia, Sabaudia, Delphinatus, Placētia. Parma, Pisaurū, Vicētia, Urbini, Sueffa, Roma antiqua, Caieta, Oliuetū, Traiectū, & Salerna. Quibus addūt Augusta, Laudā, Argentoratū, Vlmam, Austriam, Francofordiā, Spirā, Halam, Wuimpinam, Landshutam, Frysingā, Mospachiū, Veldrichium, Arelatum & Lysibonam.

Scorpii regio
nes, populi &
oppida.

SCorpio & Marti Ptolemeo subiiciuntur Metagōnitis, Getulia, Syria, Cōmagene, Cappadocia, & Mauritania. Aegyptiūs & Dorotheo Tyrus Libia, Carthago, & Sicilia. Hipparcho atque veteribus priori parti Scorpij Italia subest: media Icaria & vicina loca: ori Ionia, & Baternia. Ex recentiorum distributione, Noruegia, Sueffia occidentalis, Cathalonia, Bauaria superior, Scotia, & Foroiuliū. Quibus assunt, Genuā, Pistorū, Cremā, Paduā, Patauium, Ariminū, Ceruiā, Brixia, Mutinam, Teruisiū, Damascū, Ferrariam veterem, Trapezum, Algeram, Aquileiam, Camertinum, Messanam, Gedanum, Lypsiā, Monachum, Aichstadium, Viennam Allobrogum, & Hyspania Valentiam.

Sagit-

Sagittario & Ioui Ptolemæus tribuit *Thurreniã*, *Hispaniam*, & *felicẽ Arabiam*. *Dorotheus* cū *Aegyptijs*, *Gallias*, *Cretam* & *europeam Mysiã*. *Hipparchus* cū veteribus multis *spinæ Sagittarij* ad *lūbos* appingit *Cretam* & *vicina loca*, humero sinistro *Siciliã*, dextro *Cyprum*, et *mare rubrum*, pectori *Syriã*, prioribus pedibus *Aegyptũ* & *finitima loca* alio *Triballos* et *Bactrianam*: deniq; extremis pedibus *Tirrhēniã*. Addūt neoterici *Portugalliã*, *Vngariã*, *Dalmatiã*, *Narbonensẽ Galliam*, *Moraviã* et *Sclauoniã*. Preterea *Hierosolyma*, *Mediolanum*, *Aesculũ*, *Astũ*, *Auenionẽ*, *Paduã*, *Volaterras*, *Coloniã* *Agrippinã*, *Stutgardiam*, *Toletũ* & *Biturim*.

Capricorno & Saturno supponuntur ex Ptolemæi nomenclatura, *India*, *Arriane*, *Gedrosia*, *Thracia*, *Macedonia*, & *Illyria*, iuxta *Aegyptiorum* opinionẽ & *Dorothei*, *Cimmerij* & *Panere-mus*. Ex *Hipparchi* & veterum distributione, lateribus *Capricorni* *Aegaum pelagus* subiacer, vnã cū *accolis gentibus*, & *Coryntho*, dorso *mare magnum*, caudẽ *Iberia*, capiti & pectori *Cyllenia* ac *Thirrenia* cum suo mari: alio, media *Aegyptus*, *Syria*, & *Caria*. Ad quẽ recetiores coniecerunt *Bosfinam*, *Bulgariam*, *Albaniã*, *Graciam*, *Lituaniã*, *Moscouiã*, *Saxoniã*, *Thuringiã*, *Hessiam*, *Marcã*

Sagittarii regi-
ones, populi &
oppida.

Capricorni re-
giones, populi
& oppida.

S ij *Stiria*

Stiria, Brandeburgum, Bauariam, Romandiola, Forliuiũ, & Mutinã. Insuper Ferrariã, Pratiũ, Toronam, Augustã Vindelicorũ, Constantiã, Iuliacũ, Cleuoniam, Bergã, Gandauũ, Machliniã, Vlmã, & Oxoniam cum Orcadibus insulis.

Aquarii regio-
nes, populi &
oppida.

Auario & Saturno tribuit Ptolemæus Oxianẽ, Sogdianẽ, Arabiã petream, Azaniã mediã Aethiopis, et Sauromatas. Dorotheus, Aegyptũ et Mesopotamiã. Hipparchus manui sinistrę et pectori Syriam, dextrę Euphratẽ & Tygrim, profuso latice Tanaim & flumina alia, quę contra Austrum & Fauonium fluunt. Quibus iuniores alligat magnam Tartariam, Daniam, Russiam rubram, Amaxobiam, Suetiæ meridionalis partem, Westphaliã, & Mosellanũ. Ad hæc Pisaurum, Teruissum, Papiam, Forliuium, Vrbinum, Hamburgum, Bremam, Saltzburghum, Ingolstadium, partem Bauarię, Tridentum, Aluairam, & Monteferratum. In quorum albo Montemluciũ Borboniorũ, urbem mihi natalem, dum alias recenseo hic appingere nõ tam (opinor) erit improbatũ, quàm laudatum. Nã chari externi, chari p̄pinqui, sed omnes omnium charitates vnà patria amplexata est, cuius sumus quouis igni alieno, cũ Vlyssẽ, luculẽtior esse debet.

Pisci-

Piscibus & Ioui inauthorat Ptolemæus Phazaniam, Nazamonitas, Garamaticen, Lydiam, Ciliciam ac Pamphiliam. Dorotheus cum Aegyptijs mare rubrum, & vicina Oceano loca. Hipparchus medijs partibus Syriã tribuit & mare rubrum, dorso Arabicum, filo Septentrionalis piscis, Thraciam, Australis Asiam, & Sardis: quibus neoterici adiungunt Calabriam, Northmaniam, Lusitaniam, Hiberniam, Cumas, Comen, Alexandriam, Anconam, Mutinam, Coloniam Agrippinam, Venetiarum partem, Parentium, Ratisponam, Wormatiam, Rhotomagum, Compostellam, & Hyssalem. Hactenus regionum & urbium certis signis zodiaci subditarum catalogum amplum sic satis recensuisse sufficere, quem in cãdidatorum Astro-nomijs, quibus maxime præsentẽ nauamus operam, ex multis in vnum fasciculũ hic colligere visum fuit. Reliqua quę ad eam rem pertinebunt, de commentarijs nostris in secundũ librum Ἀποταλισματῶν Clau-dij Ptolemęi reposces, quę propediẽ (si ista qualiacũ-que arrisisse audiuero) tibi emittentur & cum summo fructu legentur. Verũ enim uero ne manũ, quod dicũt, de tabula tam leuiter tollam, nec Cometarum quantulũcunque hoc theatrum omni ex parte (quoad eius fieri potest) inornatum relinquam: precium ope-

Piscium regiões,
populi & op-
pida,

ra facturum me arbitror (quando sese offert occasio)
si regiones, gentes ac vrbes, ex antiquorum & recen-
tiū obseruatione planetis priuatim inauthoratas, hic
paucis perstrinxero.

Regiones et lo-
ca septē plane-
tis destinata.

Saturno itaque dederunt Bauariam, Saxoniam,
Stiriam, Romandiolam, Rauennā, Cōstantiā, Ingol-
stadiū, Hispaniā, Italiæ partē, Iudæos ac Mauros.

Ioui Babyloniam, Persidem, Coloniam Agrip-
pinam, Vngariam & Gallia partem.

Marti Septentrionalem tractum, Italiæ partem,
Germanos Anglos, Sauromatas, Getulos, Lōgobar-
dos, Gothos, Patauium, Ferariam & Craconiam.

Veneri Arabiam, Austriam superiorem, Cam-
paniam, Viennam, Augustam Vindelicorum, Po-
loniam maiorem, Senas, Heluetios & Thuregiam.

Mercurio Græciam, Aegyptum, Flandriā, Lu-
tetiam, Vrateslauiam, & Viennam Pannonia.

Duo luminaria Sol & Luna, quia generales sunt
vniuersitatis rerum mundi significatores & domina-
tores singulis planetarum prouintijs suo quodam iu-
re præsent, ex quo factum est quòd antiqui. certas
vrbes illis certò nullibi adscripserunt: tamen si ascri-
bi posse nō inficior, quemadmodum alibi docebimus
ac ostendemus. Quibusdam visum est vnumquēque
planetam cum his signis quæ propria sibi facit, domi-
cilio-

Septē climata
quo modo pla-
netis septē de-
stinata.

ciliorum iure ac nomine, peculiares sibi debere vendicare mundi partes, quas antiqui septem duntaxat fecerunt, pro recepta climatū distributione. Vnde primam seu mundi clima primum Saturno atque illius signis nimirum Capricorno & Aquario tribuerūt. Nam vt Saturnus primum inter planetas locum obtinet, ita inter climata primum. Eadem ratione Ioui & eius signis, secundum: Marti tertium, & ita deinceps ex ordine: vt postremum & septimum sit Luns, & Cancro illius signo deputatum. Scio ex Ptolemaei *Almagesto* ab equatore circulo vsque ad eum locum vbi dies maximus, est horarum viginti quatuor, parallelos esse octo & quadraginta, & proinde climata quatuor & viginti. Quae si sunt, imperfecta erit antiquorum positio & distributio: Sed hac, quod dicunt, parum ad Parmenonis suam: itaque in viam redeo. Quoties crinita vnum aliquem ex iam memoratis planetis dominatorem, emissoremue, aut hospitem habebit, vel caudam in illum vibrabit, aut sub hoc vel illo signo emicabit, ad subiecta loca prudēter quidquid erit & portenti & significati attemperabis. His vtcunque positis ad methodum quā locus crinitarum significationibus obnoxius, aliter explorari possit, quā nunc dictum est, ostēdere, explicareque aggredior.

Climata ab antiquis imperfecta tradita.

Aliter de loco cui minitantur crinitæ, ex signorum hospitem situ, & caudæ ad varias mundi partes inclinatione: ad hæc quid, & quibus in orientis, occidētis ue cardine, octauo item loco, & duodecimo micantes significant, & ex Ptolemæo prænuntient. Cap. 7.

Censent antiquissimi iudémque diligentissimi celestis philosophia archididascali, partis Zodiaci sub quâ emicuerit Cometa, situm & inclinationē hic præter iā dicta suā etiā habere nō prætermittendā obseruationē. Nā si sub signis assurgentibus in Boreā cōglobatus fuerit, Septentrionalibus regionib' promissas, vt volunt, inaugurabitur calamitates. Si sub declinantibus ad Austrum, meridionalibus. In ortu comparens, orientalibus: & vt habet Georgius Valla, Asiam incolentibus. In occasu occiduis, & ex eodem, Europeis. Quam considerationem etiam detorquent ad flexum & conuersionē caudæ, sub qua, vt antea scriptum est, plerunque solet latitare venenum. Nam vt γομόριος quidam habetur. Vnde in quā mūdi tractum diuerterit, huius partis regionibus arcano quodam celi & naturæ consensu minitari existimatur. Iam dictis Claud. Ptolemæum ad stipulari audies, quo loco de Cometis agit. Cæterum, inquit, loca in quibus portenta ipsa euenient, designantur

Pars zodiaci
sub qua fulgēt
Cometæ obser
uanda.

Lib. 2. apote
les. sub finem.

tur cum à signiferi partibus in quibus collecta stellæ fuerint, tum de ipsius crinitæ figuræ inclinatione. Vel, ut habet vetus interpres, ex locis in circulo signorum, & ex locis quæ sunt in directo stellæ caudatæ. Exemplo fuit Cometa visus in Germania anno sesquimillesimo supra primum & trigessimum: qui quia Mercurialis fuit; & caudam ad Orientem, Septentrionemque versam habuit, ideo literis, virtuti et religioni, ut adnotavit Milichius, in partibus illis negotium fecit. Iuniores mathematici antiquorum atque adeo Ptolemæi traditionibus & præceptis innixi, volunt thematis celestis interstitium, seu, ut loquuntur, domum siue vna fuerit, siue plures, in qua toto apparitionis tempore, vel maiore sui parte excanduerit Cometes (quod ad corporis magnitudinem attinet) hic etiam accuratè excipi debere: ad hæc explorare, num in orientis, occidentis siue cardine, aut tractu ab hoc vel illo in cali culmen seu meridiem progrediente ut dictum est, micare perrexerit. Nam ea res maximi est momenti, & præcipua in arte observationis. Quæ quia difficultatis habet non parum, & utilitatis plurimum, ideo hic à nobis explicatiùs tractari postulat. In quâ rem fenestrâ, quod dicunt, aperiet, vnus Claud. Ptolemæi Aphorismus, de quo nonnihil supra. Cometes (inquit) quorum intercapedo est vnde-

Historia Cometae cuiusdâ.

Iuniorum sententia de Cometae positione & loco.

Aphor. 100. & ultimo.

T cim

cim signorū à Sole, si apparuerint in cardinibus regni alicuius, rex aut ex principibus regni aliq̃s morietur. Sin in loco succedēte, bene se habebūt quę thesauri ei⁹ sunt, suū tamē gubernatorē mutabit. Quòd si in loco declināte, morbi ac repentina mortes erunt. At si ab occasu mouebūtur ad ortū, externus hostis regiōes incurſabit: sin non mouebuntur, puincialis hostis erit.

Ptol. eodem in loco.

Hactenus Ptolemęus, quē sua lingua loquētē si quis audire maluerit, aures, vt habet ille, arrigat: οἱ δὲ κομῆται (inquit) ὅρ' ἢ ἀπ' αὐτοῦ ἀπὸ τοῦ ἡλίου, ἰὰ, ῥῶδια ὄψιν, λῶ φα-ιδῶσιρ οἱ καὶ τῶ βασιλέας πινός, πλῶνται οὐ βασιλῆς, ἢ μίγας ὅς οἱ αὐτῶ. εἰ δ' οἱ παλαιόφω, δὲ ἔξαι τὰ τῶν καμ-λίωρ αὐτῶ, καὶ δὴ ἀξαι τὸ διοικητῶ αὐτῶ. εἰ δ' οἱ ἀπ' κλί-ματι, γίνονται ἀρ' ὅσιν καὶ αἰφιδιοι θαλάτοι. εἰ δ' οἱ κομῆται ἀπὸ δυομῶς ἐπ' αἰατολῆς, ἐπελῶσται ἐχθρὸς δὴ ὅτε οὐ πῦρ ῥῶς, εἰ δ' οἱ κομῆται, ἐγ' ῥῶς οὐ ἔσται ὁ ἐχθρὸς.

Hac ille, cuius mentem quia fortasse quiniis nō facile assequitur, cum Iouiano Pontano poëta, oratore, philosopho & astronomo diligentissimo interpreta-
tiuncula illustrare ociosum nō erit. Itaq; quia Come-
ta, vt dictū est nocturno tēpore, vel circa crepuscula su-
pra horiζontē nobis plurimū apparēt in celi cardine
oriē tali spectari agrē poterūt, nisi vndecim signis à So-
le distiterūt. Quod vtiq; verissimū esse cōperies, si sup-
putatiōis initiū, à verò Solis loco, ad crinita positiōē
secundum

Quādo & quo
modo crinitæ
in orientis car-
dine vel circa
compareant.

secundū naturalē signorū ordinē ritē, vt par est, duxeris: perinde atq; à Genethlialogis fieri cōsuevit, diurnę natiuitatis hora, et Ptolemæo nocturnę, in querenda sortis seu fortunę parte. Oportet enim Solem deorsum gradibus triginta plus minùs ab horoscopo seu Oriētis lineā abesse, priusquam ibidem, vel haud ita procul exactē possit videri, non dicam crinita, sed et stella queuis, nisi fortasse quę cum declinatione: insignem habuerit in Boream ab ecliptica latitudinē. Soli enim propinquior facta, illius splendore admodum insigni victa, quemadmodum facile occultitur, ita visum nostrum leuiter effugit. Quę ratio in occidua celi parte locum itidem agnoscet: nisi quod à Sole in crinitam per signa quę antecedūt regradario ordine perget calculus. Ergo nocturno tempore ad occidui cardinis limina, vel hinc non longē admodū, spectari negabitur Cometes, nisi à Sole sub terra degente signis vndecim absuerit. Quę omnia sic sunt sumenda, vt de matutino aut vespertino Cometa exortu, quem Heliacum (quod ad Solem referatur) Sphærę mundi interpretes cum Ptolemæo nūcuparunt, dicta intelligantur. Itaque vt rem in compendium adducā, quoties Cometa in naturali signorum ordine, Solem cælestium ignium fontem diuinum, gradibus triginta præcesserit, manē, in oriente, vel ad duodecimi loci

Quādo in occi-
duo cardine
vel prope ap-
pareat crinita.

T ii inter-

intercapedinem & vespere, si illum tot sequetur gradibus, in occasu, vel octauo celi templo videri poterit: citius, tardius, pro maiore distantia ab hoc vel illo angulo. Ex quibus colligere operosum non erit, alibi quā in dictis quatuor figura locis, exortiuo nimirum cardine, & illi aduersante occiduo, ad hæc duobus his proximis supra tetram domicilijs, octauo succedente, & duodecimo cadente, in hoc vndecim signorum recessu à Sole, crinitas visibus humanis sese obscure exhibere: nisi fortasse quæ ad prodigium vsq; immanes fuerunt, & duo, tria ue signa vt diximus, amplexari aliquando sunt visa. In nona domo, decima item & vndecima, quod tum Solis splendore eximio obscurentur, rarò vel nunquam in ea distantia apparent, Quanquam nō vsque adeò sum Stoicus, nec tam est mihi cornea fibra, vt non intelligam in his alijsque locis emicare posse: sed in alia signorū à Sole positione & differentia. Quæ omnia vel mediocriter versato in astronomicis rudimentis tam esse familiaria arbitror, vt alicuius exempli illustratione indigere non putem. Itaq; si in orientali cardine matutinam suam faciem obiecitabit crinita, aut in occidentali vespertinam, ob locorū maiestatem & prerogatiuā vt antea monuimus, mortem regis regni illius in quo affulserit, vel ei⁹ hospiti subiectū fuerit, sin minùs portendet, saltem

Cometarū apparitiones in diuersis cæleplis.

Quid portendat crinita in orientis & occidentis cardine apparens.

tem insignē aliquā calamitatem aut illi, aut cuipiā eorū qui apud illū vel maiestate valent vel sanguine (sive vir sive fœmina fuerit) augurabitur ac nuntiabit. Quod multò citius q̄ speratū sit adfuturū significabis, si Cometa ipse in oriēte cū flāma, corpore et velocitate ingētī matutin⁹ spectabitur: serius, si in occidēte, vespertinus. Nā illic, q̄ hic, ocys sēp agere cōsuevit celū. Idē si vespere excāduerit in parte occiduo cardini proximē succedente, aut, si maioris, in octauo celi domicilio, regij administratoris, eius videlicet q̄ thesauris et regis supellectili preficitur, vel regi est à cōsilijs, alteriusve apud principē authoritatis eximie viri mortem, aut insignem ruinā aliquā intentabit. Cardo enim cū regem et quę regis sunt significet, ac referat: q̄ illū sequetur locus, quia censū ex recepta priscorū distributione designat: ideo regij census curatores, quę sto res, prefectos ærarios, et hui⁹ monetę alios, vt sibi p̄spiciāt, ex ibidē ardēte Cometa futurorū cōscio preconē, haud temere cōmonefaciet. Sarraceni Ptol. interpretes, vnā cū Abenragele regionū thesaurorū iacturā, ac eorū q̄ regi sunt à cōsilijs mutationē, deiectionēq̄, nec nō substātis regni detrimentū à Cometa in dicto loco apparente, vel exoriente, præter iā dicta etiā significari cōtendūt. Qui si in declinante ab horoscopo domicilio nimirum duodecimo, exoriri videbitur, morbos

T iij

mortēque

Quid in octauo celi domicilio portendat Cometa.

Veterū sententia accuratē obseruanda.

Quid in duodecimo loco portendat crinita.

mortésque partim nobilium, partim ignobilium comminabitur. Quibus addit vetus interpretes etiam multorum carceres cum luctu. Et si caudam habuerit crinita, proditorem vel hereticum in regem aut magnū aliquem virum insurrecturum. Locus enim duodecimus cum ab orientali cardine declinet (vnde cadens dici consuevit) nec horoscopum aspectu vlllo dignetur, sitque hac ratione ignobilis, obscurorum hominum, et dignitate regibus inferiorū morbos, atque ex his mortes, & quidem repentinas (quod repentinus hic fiat Cometa exortus) aduehet. Ex quibus elicere nullum negotium erit, Cometæ in matutino, vespertino uel e-merſu, mortes partim à morbis, partim verò à bello semper ferè portendiſſe. Quod bellum à domestico hoste crinita inferendum minabitur, si, ut scribit Abenragel, ab ortu in occasum pro naturali signorum consequentia commeabit: ab externo vero, si, ut Ptolemæus tradit, ita incedere videbitur, ut ab occasu in ortum feratur. Quæ cū vel à mediocriter in rebus cali versatis facillimè intelligantur, non est quod amplius in illis hæream: admonere satius esse ratus, quod si crinita perinde ac fixa steterit, hoc est, cum signo eodem, et si fieri possit etiam parte eadem cum qua primū nata fuit apparere desierit, licet diario (ut habent Punicī quidam Ptolemæi interpretes) feratur motū, bellum

Bellū à domestico hoste vel externo.

Crinita ut fixa manens.

lum non quidem à peregrinis & longinquis hostib⁹, sed à finitimis & provincialibus indicendum disseminandum ue significabit: vel saltē ab his qui in eadem aula educati erunt. Id quod ipsa stabilitas et immotio pro diuersa sui latitudine, prudenti obseruatori facile indicabit: sicuti viderunt, adnotarunt, & prædixerunt antiqui, quoties domesticum bellum, aut ciuile alicubi exarsit, vel finitimus populus in finitimū armatus insiliit. Hæc quod ad institutum nostrum et Ptolemæi interpretationem pertinet, erunt satis. Scio nonnullos Aphorismum pro varia lectionis distinctione & dictione (præsertim in Βασιλέας & Βασιλείας) variè interpretari, quod tu ipse videbis: & ad futurarum obseruationum calculū quidquid est trāsferes: nam hic certè proferre possum, nihil nisi de historiarum coniectura qualicunq;. Quamquam Ptolemæi Aphorismum, vt reliquos omnes, imò verò quæcunque scripsit ex osculo, ac oraculi loco vbique habeo. Sed priusquam partem istam tibi claudere aggrediar, pretium operæ erit cum Georgio Valla, hic tibi adnotare, quòd si Cometæ supernas partes, colorem habere obseruabis apotelesmatum quidquid erit Septentrionalibus populis ad futurum pronuntiabis: si infernas, Australibus: si anteriores Orientalibus: posteriores, Occidentalibus. De quibus hætenus scripsisse

Obseruationis
sciētia vbique
certissima.

Colores Come
tarū quomodo
obseruandi, &
quibus portē
dant.

pſiſſe abundè ſatis erit. Itaque. ut methadi noſtre filiū ſequar, ad tempus excipiendis Cometarum portentis dictum & obnoxium nunc demum vela conuerto. Quod laudabit, probabitq; quiſquis ex philoſophis didicit, omne quod in loco eſt, in tempore itidem eſſe: & quatenus agit, etiam cum illo agere, ac vires ſuas exerere.

Quanto tempore ſignificatæ à crinitis calamitates vigeunt, & in qua anni parte ſeſe potiffimùm exerent. Cap. 8.

Duo in crinita
rū tempore ob
ſeruanda.

Cometa celi
plū & magna
rū cōiūctionū.

DE tempore hic biſariam loquemur. Imprimis
quandiu vigeunt crinitarum portenta. Poſtre
mò, in qua anni parte, & quando potiffimùm ſeſe
manifeſtabūt. Quæ duo propterea quòd à Ptolemæo
leuiter admodum tradita ſunt, ideo difficultatem ha
bent. A mora tēporis (inquit) quo apparebit Come
ta, malorum productio & intensio colligetur, ſed non
explicat quantum, vel quomodo. Quidā ſe obſerua
tionibus deprehendiſſe narrāt, ſingulis apparitionis
diebus, (ſi brevis erit) menſem deberi, et ſingulis men
ſibus (ſi lōga) annum, in eo præſertim Cometa, qui
vel à Solari eclipsi, vel ponderoſorum planetarum cō
greſſu, emiſſus fuit, aut ex his dominatorem, autho
rem

rem & rectorem aliquem agnouit. Quod de historia tibi probabimus, ubi ad Mercuriale Cometā ventū erit. Si à Lunari deliquio designatus fuit, menses mē-
sibus, & dies diebus respondere volunt. Sunt qui ho-
ras primæ apparitionis supra loci finitorem hic obser-
nandas præcipiunt, adeò ut quot ille fuerint, tot men-
ses excipiendis portentis dictos connumerent. Alij,
durationis tempus de intercapedine ascendentis an-
nuæ conuersionis, ad locum ipsius crinitæ, vel coniun-
ctionis aut eclipsis quæ illum significauit, rimantur et
inquirunt: quibusq; signis, si æquinoctialia erunt, men-
sem tribuentes: si Solstitialia, annum. Nonnulli à do-
minantium stellarum in vtrisque locis, statu & ma-
iestate id ipsum eruere & expiscari etiam contendunt:
quæ si fortes erunt, portentorum vigorem & cum in-
cremento durationem testabuntur: si debiles & de-
iectæ, contrà. Prætereà si in signis breuium ascensio-
num reperientur, pro singulis signis distantiæ, singulos
menses ponunt: si verò in signis longarum, pro singu-
lis annos singulos. Alij in mobili signo, significatio-
num mobilitatem cum leuitate, in fixo perseverentiā
& diuturnitatem, in mediocri, mediocritatem figu-
rari volunt. Caterum non desunt, qui à natura signi
sub quo ardet Cometa, vel in quo coniunctio, aut ecli-
psis illum promittens, cōtigit id ipsum etiam scrutan-

Opiniones du-
rationum por-
tentorū secun-
dum varios.

V tur

tur, ut si signum fuerit vel aëreum, celeritatem cum velocitate indicet: si terreum vel aqueum, tarditatem cum prolixitate. Sed hæc quia à me, ut verum dicam, hæcenus observata minus fuerunt, idcirco experientia rerum istarum, uti & reliquarum omnium magistra, & temporis filia doctissima, excutienda & probanda committo: illud utique verissimum esse quod est apud Pindarum existimans, *ἤξειος πάντων πατρὶς ἐστὶ*. Quod pertinet ad significatorum tempus, hoc est ad anni tempestatem, in qua portenta ipsa sese manifestabunt, Ptolemai interpretes Punicus, *Albuma* & *Zar* item, & ex recentioribus permulti, quidquid intetatur, tunc ad futurum tradunt, cum Sol motu proprio ad signum zodiaci sub quo exspatiatus est Cometa peruenit, si illum Solaris eclipsis peperit, aut premostravit. Vel ex sublimioribus planetis quispiam (si ab illorum congressu genitus fuit aut promissus) ad signum eidem Cometa quadrangulare, vel oppositum itidem processit, vel radios potentes de exaltatione, vel domo illuc proiecit. Nam tunc maxime celum sua significata solet emittere, quando principium actionis ad locum agētis vel illi affinem progressum fecit: seu dum significator ad promissoris locum, vel ad signa, valida radiatione illum pulsantia, venit. Intelligo nonnullos

conten-

Tēpus significatorū à crinita promissorū.

Dubiū nō omnino absurdū.

contendere progressionem istas debere fieri per gradus inaequales (vt in natiuitatibus) potius quā per aequales, aut si mauis, aequatoris non zodiaci: quod quā vere, de obseruationibus multis iudicabūt posteri, penes quos ea cura manebit. Claudius Ptolemæus ab habitudine crinitarum ad Solem hoc ipsum acutè (vt omnia) venari mihi videtur. Nam si matutine orientales ue, aut, vt loquuntur, Lucanæ erunt, ac diu (vt addunt nonnulli) sub ingenti corpore fulgebunt, celestrem et præcipitem calamitatum apparitionem testari scripsit. Si vespertina, & parua, parumque durantes, tardam ac lentam. Nonnulli idem ferè per omnia quod in luminarium eclipsibus, quandoquidem ab his plurimum, vt diximus, significantur, hic obseruandū præcipiunt, adeò quod si in ortu, vel haud ita procul comparebunt crinitæ in quatuor primis mensibus vel, vt alijs visum est, duobus statim post apparitionem sua proferent portenta. In culmine vel cæli medio, in quatuor secundis. In occasu ad postremum menses duodecim, quadrantem. In super remissiones & intensiones fieri de intercedentibus toto tempore, luminarium, vel summorum planetarum copulationibus, cum in locis effectuum authoribus fuerint, vel alijs qui illis cōfigurantur. Adhuc de exoriētibus stellis designatricibus et parētibus, quādo in emersionib⁹

Opiniones de
portentorum
tempore.

Stellæ exorien
tes & labētes.

V ij vel

vel occultationibus visentur: aut stationarie erunt, vel noctu micantes cum suæ pictura & natura fixis sideribus. Nam emergentes & stationaria promissa intendunt, accelerant & augent, noctu sese occultantes, remittunt. Quæ quàm vera sint, quia inexpertus (vt millies dixi) nihil affirmare audeo, nec si ausim debeo, posteris rerum istarũ studiosis hanc aleã proijcio. Vt vt se res habet, apud omnes omnium gentium scriptores quos eam in rem legere mihi licuit, cõfessum receptumq; inuenio, grauiores & diuturniores visos semp fuisse effectus, quoties ruffi et admodũ rutili apparuerunt Cometa. Mitiores & breuiiores, dum albicantes & subpallidi. Ad hæc de corporis magnitudine, & apparitionis prolixitate significationes prolixiores contigisse: de breuitate remissiores & minores: adcò vt magna mala à magnis Cometis, & parua à paruis hætenus prænuntiata sint: nec soluta nisi aduentu potentioris alicuius radiationis, & cælestis configurationis: siue eclipsis illa fuit, siue altiorũ planetarum coniunctio, oppositio, vel cum fixis stellis commercium & sociatio. Quibus tanquam pol-
lentibus signis & causis nouam rerum faciem spondentibus, facile cesserunt crinita, non secus quàm superioribus inferiora & particularibus debilioribusque vniuersalia & potentiora. Sed de portentorum
tempore

Colores crinitarũ, cū magnitudine negligi non debere.

Cometarum portenta quando cessent.

tempore, dum hic prolixè loquimur, aliud tempus irreparabile inter digitos nobis labitur, atq; fugit more fluentis aqua. Explicanda supersunt promissorum genera, species, qualitas, & alia.

Quomodo calamitatum à viso Cometa significatarum, genera, species, qualitas & alia, prædici, exprimere commodè possint.

Cap. 9.

Quidam nostris temporibus in rerum celi philosophia clarissimi, quibuscum sepe numero his de rebus familiariter egi, censent generis euentuum à Cometis significatorum scientiam triplicem habere considerationem. Vnam à signo sub quo crinita emicat. Alteram à loco thematis in quo residet. Postremam ab hospite, & figura totius apparitionis, vel eclipsis aut cōiunctionis Cometam promittentis, significantis ue dominatore & præfecto. Quibus addit Ptolemæus collectionis formam: alij alia, cuiusmodi sunt octauæ sphaerae imagines, quibuscum apparent crinita aut emergunt, vel occidunt. Si enim cum celestium canum alterutro factum id fuerit, præter vniuersales significationes huius formæ & speciei animalibus suam particulatim cladè, & ab his rursus

Portentorum à crinitis significatorum, consideratio triplex.

Octauæ sphaerae imagines in Cometis obseruandæ.

V in homini-

hominibus ac pecori damna certissima, impendere volunt. Cum caelesti Aquila vel Cygno, tam auibus quàm alitibus: cum Pegaso, equis: Cum Serpente, reptilibus: & ita de reliquis. Quae omnia validius insurgent, si Cometa in his locis per tempora eclipticis decretis, & magnarum conjunctionum dispositionibus dicta, apparebit: aut dominator planeta excitatorue ibidem erit, vel aspectu aliquo insigni locum illum & imaginem illustrabit: aut in ea hospitij & qualitatum nomine, summam iurisdictionem sibi vendicabit. Non sum nescius plerosque ex Ptolemaeo precipere à signorum natura & forma in quibus crinita versabuntur, aut his dominantes stella iacebunt, solerti indagatione euentuum genera (perinde atque ab illis ipsis stellis species) expiscari posse: quemadmodum in eclipsibus fieri solet. Itaque portentorum species, ac rerum genera, in quibus detrimentum accidet à signis sub quibus colligentur Cometae, diligenti peruestigatione sagaciter posthac venari poteris. Vnde significationum genus aliud tibi portendent crinita, cum in signis, aut imaginibus quibus forma tribuitur humana micabunt (siue in signifero, siue per inerrantes stellas factum id fuerit) quàm in his quae animantium figuram

pra

Species portē
torum ac gene
ra à signis zo
diaci.

pra se ferunt: siue quadrupedia erunt, volantia, aquatilia, serpentia, fera, mansueta, vel alia pro sua cuiusque, vt diximus, descriptione, & natura. Aliud præterea cum aëreis in signis videbuntur, quàm in igneis, & aqueis quàm terreis. Aliud in Aquilonijs, quàm Austrinis: in Tropi-
cis, quàm æquinoctialibus: itē cū assurgentibus in orientē, quàm declinantibus ad occasum. Aliud dū ad Saturnum caudam contorquebunt ac vibrabunt, quàm ad Iouem, & ita de reliquis, quemadmodum postea docebimus. Astronomi qui post Ptolemai tempora floruerunt, & res istas exactè, quoad eius fieri potuit, sunt perscrutati, quia Cometam id maxime portendere & significare intellexerunt, quod planeta eius parentes de mutuo congressu genitum & conflatum, in legitimum tempus exponendum adseruarunt: idcirco signa Zodiaci sub quibus Crinita versabitur, cum proprio hospite diligenti animaduersione obseruanda precipiunt. Vnde si sub igneis factum id erit, astus ingentes ac siccitates cum seminum iactura, & valida fame nuntiari volunt. In aëreis, perniciosam ventorum luctam. In terreis, frigorum magnitudinem cum terra motu. In aqueis, pluuias & morbos. In humanam effigiem pra se ferentibus, humano generi

Signorum qualitates in Cometis dispiciendæ, & alia,

generi detrimenta. In ferarum formam habentibus, ferino: & ita de reliquis, pro singulorum significatione, habitu et natura, ut ante dictum est. Addunt à signo masculino, masculorum morbos portendi, à feminino femininarum: in cardine annuæ conuersionis, bella & contentiones. Quæ omnia cum eclipsibus, & magnis coniunctionibus quæ Cometas significauerunt, generalibusque alijs constitutionibus, quæ particulares sapenumero vel euertunt, vel obtundunt, pro tua prudentia, accurate, ut ars exigit, temperabis: non pratermissis ubique proprijs planetarum prerogatiuis. Si quidem aliam portentorum faciem imminere docebit te observatio, cum Iuppiter vel Saturnus loci Cometae hospites erunt, vel dominatores: aut ipsiusmet auctores & rectores, quæ cum Mars, Mercurius vel quibus alijs. Quarum rerum ut certiora tibi obfirmem iudicia, molestum non erit duodecim signorum Zodiaci, quæ precipue sunt celi imagines hic tibi portenta adscribere dum sub his glomerabuntur Cometae, aut in illis residebunt dominantes planetae, vel eorundem coniunctio ibidem accider. Idque ex antiquorum observationibus, atque adeo ex Albumazar, Abenragele, Alkindo, Firmino, Bonato, Eschnyd, Nipho, Valla, Leupoldo & alijs diligentissimis rerum celi ac naturæ magistris: adhibita (quoad eius fieri poterit

In prædicendis
Cometarum por-
tentis quæ maxi-
me obseruanda.

poterit) ceria exemplorum & testimoniorum fide à
 priscis & recentioribus petita. Sed præter hæc rationes
 præcipuas (ut loquitur Ptolemæus) hoc est ad vniuer-
 sales consideraciones, quales & quidem primas ha-
 bent eclipses, deinde magnæ coniunctiones quidquid
 erit accommodare, aptare & referre omnium primis
 cogitabis: obseruabisque ecquid cum illis, & præser-
 tum cum dominante ac triumphante stella, cõspirā-
 bunt, crinita vel dissentient. Ad hæc non in eclipti-
 cum signum, vel oppositum, aut tetragono figuratum
 incident. Nec omittes præcipuos conuersionis anni
 cardines, cum eclipsis & crinitæ loco de potenti aspe-
 ctu & radiatione colligatos. Quam animaduersionē
 etiam ad superiorum planetarum congressum, siqui-
 dem crinitam vel promiserit, vel confirmarit, pro tua
 dexteritate, soleriter (ut omnia) coaptabis ac referes.
 Sed promissa, si placet, expleamus.

Præceptum ad
 omnes crinitas
 vniuersale.

Quid crinitæ sub vnaquoque duodecim
 signorum zodiaci micantes portendant, in
 primis sub Ariete. Cap. 10.

Crinita sub Ariete apparens, ex antiquorum
 & recentiorum obseruationibus significare plu-
 rimùm solet armorum strepitum, sanguinis profusio-
 nem,

nem, & alicuius principis viri aut feminae interitū, cum ingenti incendiorum metu. Ad hac siccitatem insignem, morbos vulgares, oculorum & capitis dolores, luem pecudum, nobilium summorumque virorum deiectionem & ignobilium exaltationem, non sine valido aestu & adprimè noxio. Quod vtiq; verū esse testatus est Cometes anno à nato Christo millesimo supra quadringentesimū septuagesimum & secundum, in opposito Librę (nimirum in Ariete) si vera sunt historiae, emicans. Nam aestatem prodigiosè calentem, morbos populares, inexpugnabiles ignes, et bellum aduersus Turcas grauissimum in Germania nuntiavit. In quo Vngarorum Rex Vladislaus, vnà cum Cardinali Iulio Cesarino, prostratis Turcarū triginta milibus ceciderunt: quando Constantinopolis Romanae sedis æmula, à Mahumete Turcarum imperatore obsessa, & per dies quinquaginta summis viribus oppugnata, tandem crudelissimis cædibus expugnata fuit: & Constantini imperatoris caput, è longo stipite supra mania collocatū. Vbi extra omnem humanitatem miserè in quoslibet sauitum fuit. Ceterum te ex priscorum placitis latere nolumus quòd Cometa eo in signo ab orientis tractu emergens & apparens, odium inter homines portendere solet. In occiduo verò magnatum à regibus commoda: sed

cum

Historia Arietini Cometę suis portentis.

Quid Cometa Arietinus in Oriete & Occidente portēdat.

cum aliquorum cade & interitu. Hic Cometa natis sub Ariete, vel Aphetas planetas (vt loquuntur Genethliaci) in eo, aut quadrato, opposito ue loco habentibus, triste aliquid & formidabile siue spectandum, siue excipiendum inaugurabitur.

Tauri Crinita cum suis portentis.

Crinita sub Tauro fulgens et ardens, captiuitates, iniurias, malorum licentiam & magni alicuius viri mortem solet portendere. Ad hac armentorum detrimenta, ventos validos, messis & fructuum corruptelam, frigora suo tempore ingentia, cum perhorredo terre motu. Ex quo certissime cum vrbium, tū aedificiorū ruina multis in locis cōmemorabuntur. Quales fortasse anno à natali Christi septuagesimo octauo, post visum eo in signo Cometam, contigisse fidem faciūt antiquitatis Chronographi pleriq;. Nam vrbes tres in Cypro insula nobilissima, inexprabili ruina pessum iuerūt. Si Cometę huius apparitio in orientali tractu facta erit, Sole, vt loquitur Albumazar, Tauro equidistante, regem terre illius in qua spectabitur, inimicorum metu, vel rei alterius nuntio tristi grauius perculsum iri prænuntiabit, adeo vt hinc etiā mori periclitetur. His addunt nonnulli pestiferos bu-

Historia Cometę Taurini.

Taurin^o Cometa in Oriēte & Occidente.

Xij bones

bonas, & aegritudines varias astate & autumnno formidandas: quæ vix anno, vti reliqua, terminabuntur. Si in occidentali parte comparebit, iudiciū bona ex parte in pluvias soluetur. Cometam hunc formidare omnium maximè debebunt, sub Tauro nati, & Aphetas, vt de Ariete diximus, in illo, vel eius quadrato aut opposito habētes. Quod ad sequētia deinceps, ne tibi sapius eandem de eadem re incudem pertundam prudenter accommodabis ac referes.

Geminorum Crinita cum suis potentis.

Crinita sub signo Geminorum excandens, rixas, belli feminaria, aegritudines, & ex his mortes (puerorum maximè & adolescentum) quasi tuba de alto personabit. Adhuc pregnantium abortum, aurium interitum, famem, comitum & coruscationes, cum ventorum de medio arboreos fetus tollentium larga manu, et neutiquā auara. Significabit insuper lasciuias, fornicationes, insignes mutationes, luxum, religionis contemptum, fidei eleuationem, & eius assertorū pœnas gravissimas. Cuius rei testes, vt volunt, sese exhibuerunt Comete tres Ptolemæi sæculo visi, quādo Petrus & Paulus Christi semencem longe, late quæ facientes, ab impijs contempti, supplicia pro religione seuissima

Historia Cometæ Geminorum.

sauiſſima tulerunt, & Romano imperio mutationem nec non Iudaïs atroces luctus indixerunt. Sectarum præterea, nouorumque prophetarum propagatorem eundem Cometam portendere, cum Astronomis certissimi sunt testes historiarum scriptores: apud quos anno post natum seruatore[m] quingentesimo supra nonum & octuagesimum, Cometa ingens mense integro visus: post aliquot annos Mahumerem in Arabia quasi fato quodam venturum, ceu de pictura ostendit: ut magnam cõiunctionem ipsius Cometa & Mahumeris parentem, paulò ante præcedentem, omittam. Si ex parte Orientis Crinita hæc surrexerit, & signo Geminorum Sol æquidistans fuerit, magnates vnà cum magistratu fastigij diminutione, non sine mortis metu formidaturos minitabitur. In occidentis tractu, captiuitates, pluuias, & suo tempore inundationes summoperè metuendas.

Geminorū Co
meta oriētalis
& occid.

Canceri crinita cum suis portentis.

Crinita sub Cancro emicans, bella, discordias & mala quamplurima præſagit: ad hæc heredis regni, vel principis alicuius viri, aut femina mortem, submersiones, direptiones, viarum obſeſſiones, famem ac pestem. Qualis fuisse sub Henrico imperatore, an-

Historia Co
metę Căcri pe
ris & famis
pręfagi.

no à nato Christo noningentesimo supra trigesimum, post ibidem visum Cometam memoratur & scribitur: quam etiam prodigia in aëre, præter crinitum sidus quamplurima indicasse tradunt. Hac grassante Constantinopoli post deploratissimam famem, hominum millia tercetum fame de medio sublata fuerunt. Significare solet idem Cometa ex antiquorum commentarijs, etiam pluuias suo tēpore ingentes, piscium inopiam, messis detrimentum, locustarum multitudinem & fructuum à vermibus depopulationem, cum annonæ penuria. Si in parte Orientis sese exhibuerit, fueritque Sol eidem Cancro equidistans, hominibus angustias cum vexatione prænuntiabit: multorumque in principes & dominos suos contumaciā ac fraudes. In occidentali tractu, rixas inter reges & multorum ab illis defectionem, sed cum reconciliatione luctuosa.

Căneri crinita
orientalis &
occident.

Leonis crinita cum suis portentis.

Crinita sub Leone ardens, prælia cū ingenti multorum cade maxime ad Orientis partes significare solet. Insuper generosorum quorundam & principum virorum aut feminarum lugubrem de hac vita exitum. Cuius rei certissima testimonia adidisse voluit
eum

eum Cometam qui circa annum quadringentesimū & octauum supra quadagesimum apparuit. Nā per eius & parentum stellarum decretoria tempora, Hunnorum Rex Attila magnam Italiae partem bello vexauit, ac multas vrbes praeclaras diripuit. Aquileiam euertit, ac Venetias in mari condidit. Nec dum tamen portentis hac finem fecerant, cū ecce Valentinianus imperator à suis, Maximo imperium occupante, Romae misere occiditur. Paulò post, Gothi cū ingenti exercitu in Hispanias irrumpunt: & Seuerus post occisum Maximum (vel vt alijs placet Maiorianum) Rauennae annis quatuor tyrannidem atrocissimè exercet. Eadem crinita luporū furores, quadrupedum luem, canum rabiem, satis & segetibus à vermibus, locustis, & huius picturae frugum praedoniis detrimentum, cum substantia multorum dilapidatione portendere etiam solet. Qua si ab Orientis parte cōparuerit Sole signo Leonis aequidistante, magnas in aëre ventorum commotiones, fulgura item & aquarum inopiam significabit. In Occidentis tractu, agritudines, & ad Septentrionem fulgurationes, cū luporum, & canum rabie percitorū ingenti formidine.

Leoninus Cometa orientalis & occident.

Virginis crinita cum suis portentis.

Crinita sub Virgine incensa, mercatoribus damnum

num, & mutuas inter homines iniurias cum omni iniustitia summas, nec non virorum proborum vexationem & captiuitates, indicere plurimum solet. Ad hac labores multos, dolores ac febres, praesertim in femineo sexu: in quo abortus valde erunt formidandi ac suspecti. Nec in armorum strepitu & principum caede vsquequaque ociosa erit. Quorum fidem si quis eleuat, firmabit Cometa anno vigesimo quarto supra trecentessimum visus: qui Constantinum (vt volunt) vita & imperio exuendum, non obscure ex alto premonuit. Praeterea qui anno millesimo insigniter insignis emicuit, quando Otho imperator cum Gescente patritio, qui Romae principatum occupabat confligit, & superatum interfecit: hunc secuta est pestis cum fame. Sed in exemplis quorum pleni sunt Chronographorum libri, de caelestium motuum abacis confirmati anxie versari propositum non est. Ab Orientis parte si eadem crinita affulserit, fueritque Sol Virgini aequidistans, bella ex Albuma & are portendet. In occidua, rixas cum fructuum & messis luxurie.

Historiae duae
Virginei Co-
metae.

Virgineus Co-
meta orient,
& occid.

Librae crinita cum suis portentis.

Crinita sub Libra conuulsans, principum virorum mortem in tractu occiduo, vt scribunt veteres, minitari ple-

ri plerunq; solet. Præterea cædes, cum cæca proditio-
 ne & occulta coniuratione formidandas, mer-
 cium iacturam, pluuiarum paucitatem, ventorum im-
 petum, fluminum resiccationem, fontanarum aqua-
 rum penuriam, latronum prouentum, frugum inopiã,
 prædonum periculum, cæsus plurimorum iacturam,
 & suspectam annonæ caritatem cum terræ motu ali-
 cubi sanè quàm horrendo. Quarum rerum testis cer-
 tissimus fuit Cometa visus in eo signo (vt tradunt nō-
 nulli) anno sexagesimo quinto vltra centesimum &
 millesimum: nam post varias & multiplices cala-
 mitates, in Syria ac Sicilia terræ motus vrbes multas
 partim diruit, partim etiam absorpsit. Idem Cometa
 ad Orientis tractum apparens, æquidistantem Solē
 si viderit, bella proferet. In occidente, regis alicuius,
 aut principis viti vel fæminæ mortem, cum seruorum
 in dominos contumacia, & fructuum terræ medio-
 critate.

Historia crini-
 tæ Libræ.

Libræ Come-
 ta orientalis et
 occid.

Scorpij crinita cum suis portentis.

Crinita sub Scorpio sese ostentans & ardens, in
 hominum genere labores multos, & à reptilibus in-
 commoda clandestina portendit: inter principes vi-
 ros contentiones grauissimas, æstus ingantes, aquarū
 certis temporibus prouentum vbertimum, iras inter
 populares ambiguas, summorum virorum mortem, et

Y graui-

gravidarum pericula, cū fructuum terra certissima corruptela. Ex qua non dubia nec obscura sequetur annona inopia & caritas. Significat insuper bellorū metum, regum furorem & ab illis multorum defectionem non sine ciuili motu & intestinis cadibus: quales emerferūt, ut scribit Manilius, in celi et naturae historia summus:

Ducibus cum saeva cruentis

Arma Philippaeos implerunt agmine campos.

Historia crinitae
Scorpii.

Sed à fame & peste manus egerrime abstinebit: quod utiq; verum esse indicauit Cometes anno nonningentesimo tertio supra decimum conspectus. Nā praefer multa quae perniciose nuntiavit, immani peste & fame per Galliam grassante, in omne animantū genus, nedum in solos homines miserè etiam seuitum est. In Orientis tractu comparens, & Solem Scorpio equidistantem habens, pluuiarum paucitatem (alijs multitudinem) praeannuntiat. In occidente, perniciosissima locustarum agmina, sicuti ab antiquis est traditū & diligenter obseruatum.

Crinita Capri
corni in Oriete
& Occidente.

Sagittarii crinita cum suis portentis.

Crinita cum Sagittario obambulans, vel sub eo lucens ac flagrans, regum & potentum in subditos imperium

imperium grauissimum prædicit. Insuper vectigaliū
nouas exactiones, & in cogendis pecunijs, atq; a
popularibus extorquendis studia quo iure, quaq; ini-
iuria summa. Adhæc nobilium & principum viro-
rum vexationes, captiuitates, contumelias, bella &
alia saeuissima, multorum cade plectenda. Quod de
eo Cometa qui fulsit in Italia año 1500. mēse Apri-
li multi asseuerare contendunt: nam post eius dispa-
ritionem Ludouicus Sphortia dux Mediolanensis à
Gallis captus est, vrbs Methone à Bazaieto Tur-
carum imperatore expugnata, denicti ingenti naua-
li praelio à Turcicis militib⁹ Christiani vt alia multa
omittam. Caterùm huius Cometa portentis etiā ad-
dunt ferarum varijs in locis eruptiones admodū pe-
riculosas, æstus vehementes vnà cum virorum foren-
sium, & eorum qui sacris præsunt, sorte sinistra sic sa-
tis. In Orientis parte si affulserit, & Solem equidi-
stantem habuerit, infirmitates, ac nobilium mortem
cum pugna & depredationis metu (vt ciuium re-
fractariam rebellionem taceam) de priscorum placi-
tis significabit. In occidente, varias ad impiè
agendum aries, cum grauidarum
anxietate & peri-
culo.

Historia Co-
metæ Sagitta-
rii.

Crinita Sagit-
tarii in Oriēte
& Occid.

Y ij

Capri-

Capricorni crinita cum suis portentis.

Crinita Capricornum hospitem habens ac sub eo coruscās, bella inter reges & nobiles ad futura testari plurimum consuevit. Ad hæc multorum calamitates & infortunia: alicubi rixas, viarum obsessiones, venena, regum vel principum mortem, religiosorum contemptum, piorum persecutiones, cum grandinis, niuis & hyemis asperitate: ex quibus frugum certis in locis dubius relinquetur successus. Addunt multi famem, pestem & iras populares. Quod de viso Cometa sub Henrico imperatore quarto circa annum domini millesimum nonagesimum & septimum confirmant, per cuius decreta, post ingentem famem et pestem Godofridus Billionius magna fama dux, Hierosolyma expugnauit, quo mortuo, annis octodecim Balduinus eius frater ibidem regnauit, & Cisterciensium monachorum ordo fundamenta iecit. Si in parte Orientis Cometes h. c. spectabitur, Solem aequidistantem videns, regi aut principi ab inimicis impedimenta portendet, præterea in nouationes multas cum niuium vel pluuiarum largo, suo tempore, prouentu.

Historia Cometæ Capricorni,

Capricorni cometa in Oriente & occidente.

Aquarij

Aquarii crinita cum suis portentis.

Crinita sub Aquario coacta, mortē regi aut principi cuiusdam viro vel femina in parte Orientis, ut volunt, cum militum insperata irruptione intentabit. Adhuc inter nobiles controuersas, cedes, infirmitates populatim grassantes, bella longo tempore duratura, & aeris obscuritatem cum ventorum, tonitruorum, fulgurum & fulminum messe non auara: ex quibus apertissima sequetur multorum prostratio. Significabit insuper praeter pestem luctuosam, etiam multorum summorum virorum mortem ac inopinatum obitum. Quae ita se habere adnotauerunt nonnulli, de Cometa anno sesquimillesimo viso. Nam quatuor integros menses flagrans, pestem toto fere orbe funestissimam indixit: per cuius tempora Urbanus quintus, Pontifex Romanus natura, ut habet Beda, inquietus sex simul Cardinales Nuceria necauit. Ex parte Orientis si apparuerit, & Sol illi aequidistans fuerit, rei herbariae fertilitatem praeannuntiabit. In occidente rumores varios: ex quibus praeterquam quod belli semina dispergentur, suspecta etiam erit in carceres multorum detrusio & captiuitas.

Piscium crinita cum suis portentis.

Crinita, Piscium regionem incolens, plebis calamitosa.

Y iij mitosum

Historia Comete Aquarii.

Aquarii crinita in Oriente & Occid.

mitosum statum, & contentiones fidei ac religionis causa, ex antiquorum traditionibus significare plurimum solet. Unde varia oborientur in aëre prodigia, patrabunturque à multis horrenda non solum factu, sed etiam auditu. Detrimētum patietur res piscaria, periculosissima erit nauigatio, gliscet inter reges & potentes, eorumque affines bellum maximum: ut inter ciues dissidiū cum multorum rebellione vastum.

Historia crinita
ta Piscium.

Quod de magno illo Cometa qui sub finem Imperij Sigismundi longè latèque diluxit, affirmare satagūt nonnulli. Cuius portenta qualia, & quàm prodigiosa fuerint, non est in tanta historiariū luce, quod amplius demonstratum exigas. Si à parte Orientis surrexerit, & Sol Piscium signo æquidistans fuerit, inter reges, nobiles & populares, odia, tumultus, pugnas, regūque census dilapidationem, cum timoris exaggeratione, & pluuiarum suo tempore inutili descensu portēdet. In occiduo tractu, hominibus angustias aduehet, ac fluminum exundationes minabitur, cum annuum & piscium vilitate parum opportuna. Sed in his prætereundum non est, quòd si Cometa vnum cali quadrantem, hoc est, signa tria vel pauciora occupauerit, permiscendæ erunt inuicem partium Lepidiaci significationes, ac pro locorum & incendiū, necnon excitatoris planeta, & coloris atque hospitū

na-

Piscium crinita
in oriēte et occi-

natura, dignitate, testimonijs & prerogativa prudenter temperanda. Erunt itaque hæc qualiacūq; pro Cometarum sub signifero micantium portentis, de priscorum ac recentium observationibus adlata & scripta satis: quibus plura adijcere qui volet, ad eclipsium & magnarum coniunctionum significationes confugiat: quandoquidem crinitas eadem penè cum illis portendere tradiderunt Græci & Arabes rerū celi professores. Nam illarum sunt fetus, & ut ita dicam, partus, parentum signa, et naturam quoquomodo referens. Hinc via ad colores affectanda nobis est: quorum adminiculo, planetę incense sursum materia habenas moderantis, suumque sigillum sub hac aut illa pictura ibidem obsignantis, & portentorum summam ditionem sibi vendicantis, principatū, imperium & maiestatem colligere facillimum erit. A quo firmiora, certioraque decreta expectabis si vel in eclipsi, aut alijs locis antea adnotatis, dominationem & præcipuam potestatem adipiscetur, aut cum crinita in eodem signo obambulabit: vel eius hospes erit in opportuno loco, cum opportuna radiorum pulsatione. Nam tum suas vires (aurigante radio) substrato Comete recta influet: & cum vectore mundi spiritu, ut sic dicam, animabit: ac occultis miraculis, accedente aut nobis & earum stellarum quę consortes erunt, & auxi-

Colorū cognitio quid in crinitis profit & valeat.

Solē & Lunā
planetas domi
natiōis confor
tes habere.

auxiliares longè latè que illustrabit, ac variè imbuet. Quod ad Solem & Lunam attinet, tametsi eorum omnium quæ in mundo fiunt, iurisdictionem summā sibi inauthorant, & celestis familia curam, ceu rex & regina, penes se deponunt, nihilominus dominationis partem quinque erronibus, et fixis aliquot stellis quæ illos æmulantur, & quibuscum mixtionem, commercium ue habent, hic relinquere certū est. Unde quibus stellis potestas demandabitur, commistionis cōsideratio colorem simplicem, si simplex erit, vel duplicem, si duplex, confusum & compositum, si varia, emitter: ex eoque euentuum nodos ut statim dicemus, facile dissoluet. His positis viam à summo planetarum ad imum hunc in modum tibi aperio.

Quomodo portentorum à viso Cometa significatorū, qualitas de colore, pictura, parente ac rectore eruenda.

SATVRNINVS COMETA.

Cap. II.

Saturni Co-
meta,

Cometa sub quodam colore fusco & plūbeo apparens: aut, si maius, obscuram nigricantem que flammam adens, & liuidulum crinem ostentans: quia

quia Saturnum tale coloris vestigium in materia ob-
signantem patronum agnoscit & pictorem: ideo si-
nificationes cum ab illo, tum utriusq; loco (iuxta su-
periores praeceptiones eruendas admonet: singula sin-
gulis, ut par est, miscendo & inuicem temperando.

Hunc à Punicis & Sarracenis astrologis nigrū nū-
cupari, priore libro docuimus. Cuius portentis cele-
stium philosophorum filij adscripserunt melancholi-
cos morbos, catarrhos, tabes quartanas, Epilepsias,
Morpheam, Cācros, lepram, psoram, hemorrhoides,
paralytim, in summa ut paucis multa dicā, chroni-
cos omnes morbos: qui (ut in nostro Seleuiatrico tibi
aliquādo ostendemus) sicuti longi sunt ac lentī, ita tar-
digrado planetæ commissi, & tam de motu quā crisi
inauthorati. Sed horū prouentus in his corporibus sese
omnium maximè prode, quæ ut affici erunt paratissi-
ma, ita Saturno ex natiuitate mancipata, de quibus
postea. Accedent ad hæc & se in multorū perniciem
comites dabunt fames ac pestis. Quod utinam tam
falsum fuisset, quā verissimum esse ostendit huius
picturæ Cometa ad occidentalē tractū visus circa an-
num millesimum & quingentesimum supra secun-
dum ac vigesimū sicuti fidē mihi fecerūt oculatissi-
mi, idēque seduli observatores adhuc supersti-

Saturpini mor-
bi,

Historia Satur-
nini Cometæ.

Z

laudati

laudati. Huius apparitionem iam dicta monstra duo pessima (fames inquam & pestis) Borbonios meos totum biennium, & eo amplius (Dij talem prohibete luē) insigniter et pro animi sui sententia exercuerunt. Quibus seuientibus, annos decem, plus minus, natus, cum alterum parentem mihi calum antea inuidisset, nihil antiquius habui, quam cum matre (quæ etiam triennium ab hinc apud superos esse dicit) in Pallanum pradium domesticum, comite fratrum et sororū grege numerosissimo, fugere, et hic cochleæ vitam agere, donec monstrorum illorum truculentis ur-sis truculentiorum violenta deferbuisset rabies. Saturninus hic Cometes in eclipsi, aut annua mundi cōuersione, vel superiorum planetarum congressu, partem suam imperauisse, aut effectorum portentorumue clauem penes se habere si intellexerit, etiā multorū exilia, inopiam, angustias, luctus, terrores, & brutis hominū vsui aptissimis detrimenta, quæ postea in ves-cētes, ceu cōtagione quadā cōmuni serpēt, minaci vultu, præter cōnumerata, testabitur, ut frigora suo tēpore intensissima, g'aciosa & nebulosa taceam: adhuc tēpestates aduersas, nubes densas, caligines, nimū vim magnam, vētos validissimos, naufragia, piscationis iacturam, frugum ab erucis & locustis deuastationem, inundationes, grandines, nimbos, & anima-lum

Alia Saturnini
Cometæ por-
tenta.

lium mortifera incommoda. Quæ multo certius præ-
stolabuntur si Saturnus sui iuris factus, proprijs &
non impeditis utetur viribus: atque ingēs crinita cor-
pus, cum diuturna apparitione, ut dictum est, exarde-
bit. Alioquin in significationibus augendis, minuē-
dis ue, solerti cautione opus erit. Quod hic semel scri-
ptum (ne Coccygis in morē, eadem idētidem tibi occi-
nam) reliquis Cometis omnibus, prudenter attempe-
rabis. Quorum portenta etiam particularia, locuple-
tiora, si videbitur, reddes ex secūda Claud. Ptolemęi
τετραβίβλος σωτάξιως, particula: nam Cometarum
significationes, eclipsibus & magnis coniunctioni-
bus (quemadmodum millies adnotatum est) subscri-
bere tradunt: quę cū certarum stellarum partus esse
perhibeātur, mirum non est si illarum naturam præ se
ferunt, & effectus, tametsi posteriores, indidem exci-
piunt & hauriunt. Vnde Ptolemęo vires secundas in
iudicijs habere commemorantur: οἱ κομῆται (inquit) Ptol. Apho. 99
δευτερεῶν φέρονται τῶν ἀποτελεσμάτων. Quapropter
minimē mirandum est, si illis portenta supra multorū
expectationem ingentia tribuo. Nam à summis phi-
losophis certatum dubitatumque ante à audiuiſti, nū
caelestis naturæ & esse et dici potius debeant, crinitę
quā elemētaris. Quod prius præter φιλοσοφά-
τους καὶ ἀστρολογάτους poētas, suos habere assertores

Z ii non

Quinā crinitas
stellas esse di
xerunt.

non vulgares Hippocratem, Aeschylum, Diogenē,
Plinium, Ptolemaeum, Senecam, Ioānem Damasce-
num & alios multos, satis superque ostendimus: atq;
adeò Apollonium Myndium inspiciendorum na-
turalium, vt scribit Seneca, peritissimum: qui Come-
tas in numero errantium stellarum, quarum cursum
tenent, à Chaldeis apud quos studuit, certissimè collo-
cari profitetur, signaque habere seposita & mundi
legibus compressa. Quae si sunt, otiosae profectò in re-
rum natura haudquaquam erunt crinitae. Quod dū
dico, non omitto quòd praeclara haec rerum mundi v-
niuersitas, multa sustinet, quae per secretum eunt, &
in occulto, caeca omnibus via mouentur, vt tandē mi-
ra, stupendaque palàm edant. Ad quae exploranda
quia aetas vna satis esse non potest, per successiones lō-
gas & observationes multas pedetentim eundum e-
rit. Veniet me Hercule tempus & nunc est, in quo po-
steri tam egregia suos maiores neglexisse grauiter do-
lebunt. Vsq̃ue adeò, in obseruandis difficilibus sed ta-
men pulchris, oscitantes sumus, & nepotum nostrorū
immemores. Sed hac, quod dicunt, extra crepidam.
Pensum itaque sequor. Crinita huius decreta formi-
dare imprimis debet Saturni proles, liuida, m̃acra,
tarda, taciturna, vorax, solitaria, laboriosa, tristis, a-
uara, austera, inuida, suae sententiae tenax, pecunia-
rum

Naturā sua ar-
cana pedeten-
tim prodere.

Saturni proles.

rum congestrix, in alios animaduertens, vindicta appetens amicum plus cupiens perdere quàm verbum, maligna, furiosa (vt quæ sibi interdum nedum alijs mortem consciscat) ad soluendum lenta, in agendo minime præceptis, inexorabilis, profundi intellectus, cogitationis altissime, magicarum artium studiosa, gemebunda, suspiriosa, iram diu fouens, & serò in gratiam rediens. Sed istorum picturas alibi non sine suis rationibus, & causis tibi absoluemus.

Iouialis Cometæ color & portenta.

Cometa candore vtrunque purpurascente insignitus, vt Iouius est, ita fertilitatis (nisi mentiuntur Arabes) præfagus. Hunc superiore libro Colūnam & Tenaculum ab antiquis astronomis inscribi monuimus. Cuius ea est natura, vt in aëre ventos salutare sic satis cum pluuijs (maximè in signo aquatico) opportunis temporibus nuntiet. Corporibus ad morbos paratis, & prophylactice destitutis, hæc portendere scribunt: pleuritides, synochos, exanthemata, morbillos, ophthalmias, capitis grauitates, colicos

Portenta crinitæ Iouialis.

Iouiales morbi.

Iouiales filii.

Historia Co-
metæ Iouialis.

Historia.

cruciatus, peripneumoniam, hæmoptoë, calculum, phlegmonas, gonorrhæam, lethargum, lienteriam & huius plura infirmitates alias: à quibus, ut volunt, maximè periclitabuntur sub Ioue nati: de cuius classe sunt, colore purpurascens, verecundi, veraces, iusti, pacifici, misericordes, liberales, magnanimi, subiracundi, ridibundi, faceti, iram citò deponentes, probi, honorifici, calui, benexoli, fideles, benefici, læti, hilares, carnosus, humani, lasciuus, religiosi, & similes. Porro à principis alicuius viri, aut insignis fœminæ, ecclesiæ præfecti morte, bellisque ac contentionibus agrè abstinebit. Quod de interitu Alphonssi Appuliæ regis primi, testatum confirmatumque volunt, cuius crinita nuntia, Æmiliam, Sabinam vniuersumque Neapolitanum regnum, longo et graui bello implicatum iri nuntiavit. Reliqua ad portentorum examen pertinentia, de Saturnino Cometa reposces. Illud tibi subinde occinens, quod plures & diuturniores apparebunt Cometa, eò certiora habebunt dabuntque portenta, sicuti visum est & factum, ante bellum inter Lotharium Imperatorem & fratres, nam post multorum Cometarum apparitionem inde ingenti pugna accisa fuerunt Gallorum vires, ac diuulsus florentissimum Galliarum regnum à Germania.

Martij

Martij Cometæ color & portenta.

Cometa rutilans & planè igneus, Læcea Mauris Astronomis dictus, & Pertica seu Veru, quia merè Martius est, ideo morbisferos ventos, tabificos & squallidos, vñà cum fontium & fluviorum ariditate, nec non satorum & fructuum nescio qua corruptela significare pronus est. Quod vtiq; verissimum esse, is Cometes apertè est testatus, qui anno trigésimo nono supra millesimum & quingentesimum (ne quæ à nostra memoria lōgius sunt posita referam) nobis studiorum gratia Lutetiam salutantibus, & ingredientibus, ac alijs plerisque sub eodem colore visus est. Cuius significatio (quia parvus admodum pauco tempore excaudit) in æstu & aquarum penuria, sequente anno planè manifesta euasit. Nam viatores multi caloribus & siti miserè peris̃se, ac in medijs vijs animam exhalasse inuenti sunt. Vt interim nō omitam, quòd coloni pleriq;, propterea quòd putei, fontes, fluij, riuī & stagna exaruis̃sent, aère o-
 ftauo iam mense nullas pluuias mittente, aliò cū gregibus, familia & armentis immigrare coacti fuerūt, ac sedes magis opportunas queritare. Quo anno ad Iani xxv. Carolus Caesar Imperator Lutetiam est ingressus. Cæterum à peste & bellorum longissimorū metu

Martialis Cometæ portenta.

Historia misæ siccitatis Martii Cometæ,

Martii Cometae historia.

Martii Cometae morbi.

Bilis flauae effecta.

metu immunis haudquaquam erit Cometes iste: & nescio sanè num ad eius picturam referri debeat qui primo anno belli Peloponnesiaci, quod inter se Graeciae ciuitates gesserunt, post insignem illam Solis eclipsim per dies quinque & septuaginta horribiliter fulsit, cuius extinctionem, post inauditam pestem, post euersas praecipuas Graeciae vrbes, post tot exercitus cessos, post tam variam belli funestissimi fortunam tandem extrema clade, secuta est Atheniensium prostratio. Ita demum ipse euentus docuit, non sine maximo vniuersae Graeciae malo Athenienses astrorum monitus contempsisse. Quod ad morbos attinet: praesens Cometes dysenterias seuissimas & populares significare solet, quales commemorato anno grassari vidimus. Ad haec pestilentes febres, acutissimos morbos, tertianas, erysipelata, phrenitides, abortus, caufones, haemorrhagias, deliria, choleram morbum & huius picturae alios. Ad quae frequentissima accedent tonitrua, coruscationes & fulmina. Vnde maria praeter solitum agitabuntur, ac crebriora contingent naufragia. Porro quia Martis stella nimium de sua natura incandescit, ideo bilem incendi paratissimam, in hominum corporibus promptissime exagitatam iri nuntiabit Martius hic Cometes. Ex quo fiet ut rixae, contentiones, praelia, vexationes, tumultus, seditiones: & alia

*alia quæ ad Martis idiotæ pontiæ pertinent illinc faci-
le emergant. Quæ quia recensere longum esset, tibi ex
Ptolemæo & antiquis petenda relinquo. Sed ab a-
trocissimo bello, & morte magni alicuius viri aut fe-
mina, fatales, vt sic dicam, manus agerrimè abstine-
bit. Cuius pictura crinitam fulsisse testatur, priusquàm
Vsonus Cassanus Parthiæ atque Armeniæ rex ad
Euphratem profectus Asiam inuaderet, adeò vt col-
latis signis cum Mahumete Turcarum rege, tam gra-
ui & dubio Marte sit dimicatum, vt qui ingentem
inferret cladem, eandem & ipse acciperet: duo enim
potentissimi exercitus, duo duces maximi, bis in pau-
cis diebus acerrimè conflixerunt. Verùm enimvero in-
ter portenta huius crinitæ insignia, omittenda etiam
non est pestis, longa quidem & seuisima,*

Belli atrocissimi historia.

*Qualis Erichthonios quondam populata colonos,
Antiquas fato crudeli exhausit Athenas:*

Alter in alterius morientia membra ruebat:

Nec locus artis erat medicæ, nec vota valebant:

Cesserat officium morbis, & funera deerant

Mortibus & lachryme, fessus defecerat ignis.

Ac tanto (mirum) populo vix contigit haeres.

Nescio sanè num̃ hic etiam referri debeat prodigiosa

& verè commemorabilis pestis, illa quam aui nostri,

(quemadmodum accurate, vt omnia, adnotauit Fer

Aa *nelius*

**Historia pestis
fæuissimæ, de
qua apud Thu
cid. lib. 2. &
Gal. lib. 1. cap.
6. de diff. febr.**

Vide Ferneliū
lib. 2. de abdi-
tis rerum cau.
cap. 14.

*nelius rerum cali & natura doctissimus) obtigisse
narrant anno Christi millesimo & quadringentesi-
mo supra quinquagesimum. Hec in Asia exorta, per
Illiricum, Dalmatiāque serpsit in Italiam: per Ger-
maniam verò in Gallia & Hispania fines: complu-
ribus annis tam misere in omnes fere populos debac-
chata, ut vix tertia pars viuētium superstes euaserit.
Cuius causam ad celestia corpora ac illorum motus
& permissiones (ut abstrusorum omnium) idem Fer-
nelius prudenter refert ac cōsultè detorquet: quæ quo-
ties bonæ sunt, hominum vitam tuentur, dū verò ma-
le, contrā: sed de his alibi. A portentis huius crinitæ
vix immunes erunt Martis filij, russi, concitati, gra-
ciles, temerarij, iracūdi, precipites, fallaces, bellicosi,
vinosi, contumeliosi, rixosi, superbi, crudeles, cōuitia-
tores, violenti, proterui, impigri, prodigi, alacres, im-
pudentes, seditiosi, impij, versuti, feruidi, indomabi-
les, nihil sibi non arrogantes, gloria & vindictæ stu-
diosi, garruli, vigiles, inquieti, sui profusi, alieni appe-
tentes, cicatricosi, homicidæ & huius pluma alij.*

Notæ Martiæ
sobolis.

Solaris Cometæ color & portenta.

Portēta Come-
tæ Solaris.

COmēta ignes in orbem fere spargens, & aureū
colorem præ se ferēs, Solaris, Assyrijs astronomis
nuncu-

nuncupatur. Qui cum apparuerit, regis alicuius, aut præpōrētis viri sœminē ue mortem nuntiabit, cum rerum regni mutatione, sed quibus meliora succedant. Significabit & diuturnos tumultus, nec non bella cū æstu, siccitate & alijs. Qualinm testem se dedit, ut scribunt, qui visus est paulo antè quàm Alphonsus Portugalliæ Rex classe magna satis, in Aphricā traiecit, duasque nobilissimas vrbes Tingin & Argilam vi cepit: atque oram Tingitanam armis subactam imperio suo adiecit. Përque ferè tempora Carolus Burgundionum dux, aduersus finitimos populos & reges sic arma mouit, ut multorum annorum incendium à suis vix extinguibile incenderit. Sed hic tamen animaduertendum quod à duobus luminaribus rarò particularia iudicia, ut supra est adnotatū, trahi solent. In quo si quid fortasse à nobis est peccatum, cum antiquis, quos hic ferēdos & probādos authores habemus, peccatum esse scies. Sed Solari soboli impri-

Historia Solaris Cometæ.

Solares filii, cū propria illorū pictura.

Ad ii Qui

Qui viger in ramis venit à radicibus humor.

Veneri Cometæ color & portenta.

Porteta Come-
tæ veneri.

Historia.

Morbi Veneri
mancipati.

Veneris filii ac
nepotes.

Morbi alii Ve-
neris.

COMeta argenteus & albicans, Aurora seu Matuta antiquis nuncupatus, significationes suas in terræ fructus & aquas exerere de priscorum observationibus celebratur. Cuius natura, quia Venera planè est, idcirco in mulierum & sacrarum virginum, nec non matronarum perniciem iurare traditur: legumque & publicarum rerum mutatione portendere. Qualem eum fuisse volunt, qui paulò antè quàm Cosdras Persarum rex Hierosolyma diripuis-
set, aliquando exarsit. Minatur & stomachi, matri-
cisque ac renum, nec non pudendarum partium labo-
res: adhac lienteriam & diabetem. Quibus omniū
maximè obnoxij erunt (nisi præcautione sibi prospici-
ant) Veneris nepotes, nitiduli, compti, venusti, mise-
ricordes saltatores, delitiarum amatores, lascivi, hila-
res, mansueti, suaves, sociabiles, benefici, voluptuarij,
unguentis delibuti, cantores, facundi, desides, pusilla-
nimes, & alij. Quorum morbi cū lunaribus, de qui-
bus postea, communes fere erunt. In quorum classe,
præter iam dictos, primas tenent catarrhi, coryzæ,
branchi, paralyses, apoplexiæ, gonorrhæa, renum ve-
sicæ

sicq̃ & vteri dolores, capitis affectus, quotidiana febres, salius, hydropes, sudores, et alij id genus, de quibus alibi, si ista probabis, abundè tibi scribemus.

Mercurialis Cometæ color & portenta.

Cometæ quadantenus cæruleus, aut potius versicolor, caudam habens oblongam & crinem vagum, Sarracenis astronomis dominus Asconæ nuncupatus, quia Mercurialis est, hæc significare plurimū solet. Imprimis eorum qui industria aliqua pollent, & Musas colunt, insignem calamitatem cum magni alicuius viri morte, præter bella, famem ac pestem. Exemplo qualicumque res elucescet. Anno à natali Christi sexagesimo supra ducentesimo & millesimo, in orientali cæli tractu, mensibus sex ferè, crinitam, ab ortu ad medium vsque cælum crines longè latèque diffudisse, ac Mercurialis typum præ se tulisse, ex his quæ variè significauit & inde sequuta sunt, fidem faciunt rerum mundi & historiarum scriptores. Hæc videri non prius desijt, quàm Urbanus Gallus, pontifex è viuis decessit: post cuius obitum Carolus cum exercitu è Gallijs mouit, & superato Manfredi regnum Neapolitanū occupauit. Biennio post,

Portenta Cometæ Mercurialis.

Historia Mercurialis Cometæ.

Aa in Pani

Pani in Hispaniam traiecerunt, magnasque clades ibidem intulerunt: quanquam pulsi postea & casti. Per que tempora magni tumultus in Ethruria concitati fuerunt. Quidnam sequutum? Anno à Cometa tertio, Banducar, vel ut habet Paulus Aemilius Gallicarum rerum scriptor exquisitus, Bādodachar Babyloniorum atque Assyriorum rex, Armeniam cum ingēribus copijs inuasit, Antiochiam expugnauit, & grauissimas cedes Christianorum adidit. Anno ab apparitione quarto, Conradinus Sueuus victus captusque à Carolo prouincię comite, & Sicilię Hierosolymorumque, ut idem scribit Aemilius, rege nuncupato, securi percussus interiit. Anno quinto Ludouicus nonus Gallorum rex, in Aphricā traiciens Chartagine, vel ut alij tradunt, Tuneta vi capta, mortē, alui pro fluuiο correptus, obiit: magna parte exercitus fame & peste absumpta. Cuius interitu cognito, Carolus Panorum regem ad tributa quotannis pendēda cōēgit. Anno sexto Scythę (quos hodie Tartaros vocant) Armenis opem ferentes Assyrijs seu Sarracenis victis, fugatisque Asiam liberauerunt, eamque Christianorum concessu, diu tenuerunt. Hac, ut verum dicam, ex Iouiano & Nypho æquē diligentissimis ac doctissimis, & peregrinis historiographis alijs emendicare nihil puduit: non quod nostris

stis sua desint exempla, sed profectò talia quæ non possint in rerum istarum fidem constantissimè adduci incuria, si dñs placet, chronographorum: qui crassamente scio qua socordia ducti, vel potius aperta rerum celi ignoratione, Cometarum apparitiones, descriptiones, durationes, emissores, magnitudines, figuras, loca colores, progressionem & huius methodi alia, inemendabili nota prætermittunt. Nos quod per veterum & iuniorum observationes, variarumque gentium historias, & celestium abacorum calculum magno sudore, ut ars exigit, colligere potuimus, bona fide studiosis impertire & adnotare nihil piguit: quod felix faustumque sit precor. Sed in viam redeamus. Suspectum hunc Cometam habere debet Mercurij germen varium, vasum, ingeniosum, sagax, proteruum, dolosum, suspicax, mysterijs vacans, superbum, eloquens, mendax, inconstans, leue, amulum, perspicax, impetuosum, dicax & festiuium. Cui affines morbi sunt, phrenesis, lethargus, epilepsia, plethora & alij: pro natura, participatione & loco Mercurij cum alijs stellis: nam ut Vertumnus & Protheus quidam in cælo se habet, quemadmodum alibi ostendemus.

Incuria Chronographorum multis incommodat.

Mercurii soboles & morbi.

Lunaris

Lunaris Cometæ color & portenta cum
quibusdam de colorum ra-
tione.

Lunaris Come-
tæ portenta.

Cometa albedine claritatē que perinde atque Lu-
na insignis, & crines retrò fundens, astronomis
Arabibus Miles dictus, quòd duodecim signa celi
mira celeritate percurrisse quandoque sit visus, quia
lunarem naturam sequitur, ideo muliebri statui &
populari nescio quid mali intentare videtur. Ad hec
rituum ac legum innouationes, nec non homines qui
antiqua in noua suo commodo mutare studeant: quo-
rum originem caude Cometæ inclinatio viam præ-
monstrabit. Talem in Italia tractu circa annum ses-
quimillesimum, et quintum supra decimum plus mi-
nùs, Leone Florentino, pōtifice regnante emicasse, fidē
mihi fecerūt libri aliquot. Nam post eius apparitio-
nem & parentum planetarum congressum, magna
rerum Christianarum atq; aded ecclesiæ tumultua-
tio, deprauatio, & corruptela sequuta est. Ceterum
præter connumerata eidem etiam adscribunt sterili-
tatis & leuissimorum bellorum significationes. Insu-
per catarrhos, paralyses, hydropas, epilepsias, scabies,
obstructiones, coli dolores, diarrhæam, lenteriā, quo-
tidianas febres, pforam, lepram, elephantiasim &
huius

Historia Come-
tæ lunaris.

Lunares mor-
bi, & filii.

huius generis morbos alios. Quibus præter ceteros obnoxia admodum erit Luna propago alba, mobilis, errans, cogitabunda, pusillanimis, timida, susurratrix, instabilis, prodiga, futilis, vaga, novarum rerum disseminatrix & huius plumeque alia. Verum enimvero querat hic aliquis, sint ne colores isti re vera in incendio Cometarum, an potius imaginarij dicendi, et ex visus imbecillitate commenti? quem substrata nebula, aut caliginosus aer & subhumidus eludere facile potest, pro varia medijs & intuentium natura: Quod postremum si est, frustra hic à nobis scripta sunt & adnotata tot Cometarum portenta, tum à signis tum etiam à coloribus & rebus alijs deprompta. Ego sanè, ut rem eam tibi paucis expediam, ingenuè crediderim colores istos in ardente sursum materia, quemadmodum libro primo ostendimus, re vera inesse, & ex dominantis planetae ac aliorum quos consortes habet occulto radio, ceu penicillo quodam appingi, & in materia fermètari: quemadmodum fieri videmus in nubibus quarum colores etiam multis antè diebus quàm sese exhibeant, amicis non sine admiratione prædicere, & ex his fortuitas dierum tempestates quasi digito præmonstrare quandoque consuevi: à pictore duntaxat planeta & rerum aëriarum precipuo tunc temporis dominatore. Qui colores quia cū

Quæstio ardua
de Cometarū
coloribus.

Cap. 10.

Colores re vera
Cometis in
esse.

Bb

suis

suis nubibus momentanei sunt, & fugaces (nimirum vnius diei, aut horarum aliquot) ideo commune nihil habent cum multorum mensium Cometis, & eorundem coloribus, ac portentis ad canonem perseverantibus. Ex quo abditum nescio quid & occultum agnoscere, & præ se ferre mihi semper sunt visi.

Quid portendant Cometarum exaltationes supra Planetas, cū caudæ illorum, in eodem conuersione, & ad varias mundi partes motione. Cap. 12.

Exaltatiões Cometarum supra planetas cum propriis portētis.

Caudæ Cometarū conuersio ad planetas cū portentis.

Hic ex *Abenragele & Arabibus* adnotandū monendumque existimaui, quod quando Cometa supra Saturnum exaltabitur, infirmitates magnas ac fortes significabit. Supra Iouem, quod interficientur homines eximij, nobiles ac laudati. Supra Martē, quod homines litigabūt, et bella gerēt. Supra Solem, quod deprimentur potentes, & exaltabuntur viles ac plebei. Supra Venerem, aquarum diminutiones cum siccitate nuntiabuntur. Supra Mercuriū, rixæ & iuuenū morbi cū incōmodis. Supra Lunā in substātijs multorū detrimēta. Supra Draconis caput, quod interficiētur nobiles et qui in precio erūt. Supra caudā, quod in fructibus arborū iactura. *Qui bus ex Georgio Valla addemus, quod si Cometa caudam*

dam ad Saturnum conuerterit, fructuum terrestrium caritatem & annonæ penuriam portendet. Ad Iouem, regias domos subuersum iri. Ad Martem, agri tudines, interitus & bella atrocia, cum immutatione status rerum publicarum. Ad Venerem, magnarum mulierum, reginarumque mortem, vnâ cum deploratione rerum quæ ad illas pertinebunt. Ad Mercurium, multitudini suspèdia cū dispendio & infamia. Quod ad Solem & Lunâ attinet, nihil apud eundem scriptum reperi. Cuius sententiæ non ineptè fortasse attexemus, quòd si tempore alicuius natiuitatis fulgebit Cometes, nato periculum intentabit. Quæ si nocturna erit, & illius horoscopus Cometa occupabit, Luna ibidem dominium habète, aut cum eo inâbulante, ne vitam abscindat formidandum valdè erit: quæadmodum sedulò adnotauit in suo Genethliologico, Ioã. Schonerus rerū celi philosophus acutissimus. Quod ad motionē attinet, Porphyrius grauissimus author testatur multa tum signa, tum indicia futurorum hinc percipi. Nanque, inquit, si ad Austri partes deferètur Cometa, pluuias dabūt: si ad Aquilonias, siccitates: si ad occasum, egregiam anni constitutionem, temperaturamque futuram: sin ad ortum, pestes, luem & tabes: quibus nequidquam medicas manus admoneas. Hactenus ille.

Cometa tēpo
re natiuitatis
quid portēdat.

Bb ij

Quid

Quid portendāt crinitæ variis formis apparentes, & sub certis imaginibus octauæ spheræ aut zodiaci ardentes, vel cum illis inābulātes, & alia in particularibus iudicijs maximoperè obseruanda. Cap. 13.

Crinitæ quid portēdant sub variis cæli imaginibus.

Varie crinitarum formæ cū portentis.

Plinius homo, si quisquā alius, verè πολυὶ σοὶ non temerè scripsisse mihi videtur in Cometarum apparitione diligenter obseruandas esse formas & similitudines quas reddunt ac præ se ferunt. Insuper cuius stella siue fixa erit, siue erratica vires de radiorū pulsatione excipiant, & quibus in locis degant. Si enim signorum partes verendas, hoc est vt interpretatur Milichius, medias occupauerint, fore scribit vt obscena libidinis exempla adantur. Si formam triquetram, seu vt habet Hermolaus, paribus angulis quadratam, ad aliquos perennium stellarum situs figurauerint: vel trino quadratō ue aspectu aliquā hærentium calo stellarum de proprio loco exceperint, futurum vt literis, ingenijs & eruditioni detrimentum portendant. In capite Septentrionalis, Austrinæ ue serpentis, venena fundenda ac miscēda. Si tibiærum specie fulserint, musica & eius cultoribus damna ad futura nuntiabunt. De alijs tute prudenter ad eum modum iudicabis. Vt si iaculi aut lanceæ imaginem gerent

gerent: bella inaugurari. Si animalis alicuius, illius generi, aut alijs ab ipso periculum imminere: & ita deinceps, sicuti supra ostēdimus ac scripsimus. Quod temere factum non putabis: nam in generatione atque corruptione (quēadmodum tradidit Ptolemus) formę inferiores afficiuntur à celestibus formis, sicuti passiva ab actiuis. Si autem figura expertes erunt, Cometa, hominibus insuetum aliquid venturum declarabunt. In Lunę silentio, vel per plenilunia exorietes, perniciem & damna minitari authores sunt, quamplurimi. Quibus cum Georgio Valla subscribit Antonius de Montulmo: nisi quod hic interficere etiam vult, maxime si in Illegalibus (vt loquuntur) genesis locis affulserint. Plurimū insuper referre putant nonnulli ad prauidendas tam agritudines, quā partes corporis quas illa prehendent, vt signa zodiaci sub quibus agent Cometa, accuratē expendantur. Vt si sub Ariete factum id fuerit capitis dolores (propterea quod capiti praeest Aries) nuntiari certum sit. Sub Tauro, colli. Sub geminis, humerorum cum brachijs: & ita de reliquis, pro varia partium corporis distributione ad loca Signiferi. Sed cum his natalitij thematis rationem imprimis habendam volūt, prospiciendumque num signum aliquod minax cum suo hospite in id iudicij descendat, & ex annua conuer-

Morborū præuisiones à Cometis.

Bb iij sione

Cometarū por-
tēta in natiui-
gatis locis.

sione cōspirante eclipsi, vel alio quouis modo suum e-
tiam testimoniū adponat. Ad quæ ex Albumaꝝ a-
re antiquissimo rerum cæli observatore, addere inuti-
le haudquaquam erit: quòd si Cometa commercium
habebit (quemadmodum antea adnotauimus) cum
signo horoscopante hora natiuitatis, aut annus cōuer-
sionis, vel cum Apheticis, et (vt loquitur Ptolemæus)
phosphoricis signis, hoc est luminaria hospitantibus,
damnum aliquod ei cuius erit genesis portendet. Quæ
si fortasse eo anno, vel per tempora Cometarum decre-
tis dicta agrotare contigerit, suspecta admodum &
periculosa erit infirmitas. Quod ad alia figura loca
ex antiquis accommodare etiam poteris. Nam si in
eis excanduerit, vel aliter configuratus fuerit Come-
tes, rebus illis locis inauthoratis insidiabitur: vt vite,
substantia, honoribus, amicis & similibus. Caterū
in regum & magnorum virorum diuisionis signo &
termino quoties emicabit, vel sub eorūdem domino et
hospite, Albumaꝝ ar author est, ingentes angustias,
oppressiones, bella, vel necem illis portendi. In medio-
cribus verò hominibus inimicos, & ab his incommo-
da. Ludouicus de Rigijs ad patriarcham Cōstanti-
nopolitanum scribens, adfirmat natiuitates quæ in
Cometarum apparitione habebunt in ascendētis sue
medij cæli angulo signum in quo vis Cometa eluce-
bit

Crinitarū por-
tenta in domi-
bus natalitijs.

bit, & dominus domus seu exaltationis fortis erit, singulare quidpiam ac maximum illis venturum etiam ultra significatum propria figura nuntiare.

- Si in decima cum veloci crinita motu, regem aut dominatorem venturum. In nona, maximum pontificē. In undecima, gētium ductorem. Et si cum hoc fortuna solæ disposuerint, sine maleficorum damnatione, affirmandum aliquid diuinum inde emerfurū. Prætereà significationes inualefcere, si prope cingulū Zodiacy, aut verticalis puncti, vel non ita procul, apparuerint. Hactenus ille: cum quo crinitis receptui canere institueram, & complicatis velis in portum excurrere, nisi traiectiones Cometis sanè quàm affines me de via & proposito distraxissent. Itaque de illis, ne quid in summo aëre intactum relinquam, pauca veluti per transennā tibi scribere, absurdum non erit.

Cometæ verticales.

Quid traiectiones, & in summo aëre trāscurrentes stellæ, aliæque impressiones aëris ignitæ significant: apposita illarum generatione & natura. Cap. 14.

LAtini ignitas traiectiones id nuncupare mihi videtur, quòd Ptolemæus ubique maximus, sua lingua, hoc est Græca, διαττογτας dixit, alibi ἀνοτί-

Traiectionis nomenclatura varia.

σφατα

σφαται, καὶ δ' ἐκ δ' εὐμας. Seneca & Plinius volantia sidera & repentina. Recentiores, nomine Græcas, quoad eius fieri potest, Ptolemai appellationes excipiente, defilientes, emicantes, & raptim elisos ignes. Alii igniculos & cum vulgo incensas stellæ, deciduas, cadentes, volantes & transcurrètes. Propterea quod per supremam aëris regionem, modò in hunc, aliàs in illum cali & mundi tractum dissiliunt & euanido motu feruntur. Cuius rei sic ex Manilio pau-

Ignium trans-
cursu ratio.

Et quia non solidum est corpus (inquit) sed rara vagantur

Principia aurarum, volucrumque simillima fumo:
In breue viuit opus: ceptaque incendia sine
Subsistunt.

Ad hæc ex Pontano hunc in modum suum Fránciscum filium admonente.

Sape per æstatem calo si fortè silente
Aut carpes iter, aut Mauortia signa secutus
Traduces vigilem per iussa silentia noctem:
Collucere faces, cæloque cadentia cernes
Sydera, & incensos per sudum albescere tractus.
Halitus hic modicusque, & cæco impulsus ab igni,
Incidit in gelidas ut primùm frigoris oras,
Nec potis incertum longè exuperare rigorem,

Torquet

Torquet iter fugiens, nunc huc, nunc mobilis illuc,
 Donec conceptam traxit per viscera flammam:
 Nunc proprio incēsus raptu, nunc tērque quaterque
 Exagitata ferens impacta verbera nubis.

Haftenus ille. Caterūm traiectiones istę omnes
 volucres, repentines, ac momentaneę sunt à calidiore
 sicciorēque & raro necnon fumido halitu, sursum vi
 cali raptu, & quo ferē de Comeris dictum est modo,
 ardente: à quibus motu, forma & duratione, præter
 alia, duntaxat differre mihi videntur: nam vt subito
 conflagrant & apparent, ita extempore desinunt ac
 vanescunt. Quod de sola materia diuersitate ac na-
 tura pēdere existimabis: quę hic quā illic, aliquā-
 to rarior, siccior, & calidior esse solet. Ad quę acce-
 dūt intensiōes, remissiones, positis, distractiones, in-
 clinationes, agitationes, impulsiones & alia. Pro qua-
 rum portentis vel potiūs significationibus, vnus hic
 Claudij Ptol. Aphoris. abundē satis erit. οἱ διαττον-
 τες (inquit) δηλοῦσι ξηρότητα αἰέρος, καὶ εἰ ἐφ' ἑνὸς μέ-
 ρους φέρονται, δηλοῦσι τὸν ἀπ' ἐκείνης τῆς γωνίας ἀνεμον
 εἰ δὲ εἰς διάφορα μέρη φέρονται, δηλοῦσι ὕδατος ἐλάττω-
 σιν, & ἀκαταστασίαν αἰέρος, & στρατευμάτων ἐπιδρομὰς.
 quod est: Transcurrentes summi aëris stellas, siccitatē
 indicant, quę si ab vnā parte ferentur, ab angulo illo
 ventum significabunt. Sin verò ad multas disilient,

Traiectionum
 & cadentium
 stellarum gene-
 ratio.

Traiectionum
 significationes
 ex Ptol.

Cc aqua-

aquarum imminutionem, aëris commotiones, & exercituum incursiones promittent. Quod sub finem secundi ἀποτελεσματῶν paulò fusius hūc in modum (ut Græca omittam) confirmasse audies. Discursiones (inquit) & iaculationes stellarum, si ab vno angulo prorumpent, inde quoque ventum expectabis. Sin occurrent inter se, vētorum pralia. Si de quatuor plagis ruent, hyemes varias, atque etiam fulmina, tonitrua, & quæ huius plumæ sunt alia. Ptolemæo cōcinit Aratus in Phenomenis sic scribens:

καὶ διὰ τούτα μέλαινα μὲν ὅτ' ἀσέρες αἴσῳσι
ταρφέα, τοὶ δ' ὀπιθερ ῥύμοι ὑπολευκαίνονται,
Δειδέχθαι καί τοις ἀντιῶ ὁδὸν ἐρχομένιοιο
πνεύματος· εἰ δέ κ' ἄλλοι ὀαντίομαῖσιν ὄσῳσι,
Ἄλλοις ἐξ ἄλλων μετέωρ, τό τε δὲ πεφυλαξο
παιτοῖωρ ἀνέμων, οἳ τ' ἀκρίτοι εἰσι μάλιστα.

Tractationum
significationes
ex Arato.

Quod nos sic vertimus & interpretamur:
Præcipites si nocte ruent, crebroq; micabunt
Stellæ, albescentem tractum post terga trahentes:
Accipito ex illis venientes agmine magno
Ventos. Sed si alijs aliæ de partibus ultro
Concurrent: varios flatu tunc undique cernes:
Et qui confusè turbabunt aëra passim.

Ratio hinc sumi potest, quod ventus auctore Aristotele nihil aliud sit, quàm agitata quedam circa

ter-

terram arida aspirationis multitudo. Quare cum ex
 effumatione aestuosa, omnes fiant traiectiones, natu-
 rale est ut à qua parte impelluntur, ab eadem ventos
 promittant ac prænuntiēt. Qui tāto validiores erūt,
 quanto diuturniores & oblongiores apparebunt traie-
 ctiones. Quibus fortasse succedent calidi biliosique
 morbi, ab arida & sicca aëris constitutione, præser-
 tim in paratis corporibus. Quod sensisse mihi vide-
 tur verè medicorum patens & bonorum omnium
 author Hippocrates noster scribens, in siccitatibus et
 per squallones (quibus vigentibus gigni solēt cadētes
 istiusmodi stella) febres acutas plurimū fieri. A quo
 ne latum quidem vnguē, quod dicūt, recedit Lu-
 douicus de Rigys hunc in modum ad suum Patriar-
 cham Constantinopolitanum (ut suprā adnotatum
 est) scribens. Vapores (inquit) accensi per aërem &
 excurrentes, siue in forma Cometa, siue in alia, infir-
 mitates calidas, acutęque naturę designant: adhuc
 praelia, regnorum dissensiones, fontium ariditates, &
 fluminum resiccationes. Currentes verò hinc inde per
 omnes partes, malum vniuersale demonstrant. Si in
 vna magis quàm alia, in illa maius erit significa-
 tum. Sed si omnes ad vnam partem ferentur &
 discurrent, in illa erit omnium malorum extremitas
 simul & fames. Atque hac de traiectionibus, &

Vētos quomo-
 do prænuntiēt
 traiectiones.

Aphor. 7.

sect. 3.

Traiectiones
 quādoque mor-
 bos significare.

Aphor. 97.

Varia à traie-
 ctionib⁹ signi-
 ficari.

Cc ij

crinitis

Aph. 98.

crinitis stellis celo nunquam impunè visis, quæq; secundas partes ex Ptolemæo (quemadmodum sepe numero diximus) in iudicijs post vniuersales causas ferunt (nam sunt certarum stellarum veluti soboles quæ suos parentes sequi solet, ac illorum naturam referre) vtcunque præcipitata veriùs quàm scripta, erūt satis. Quibus tantisper fruetur Lector optimus, donec posterì dies priorum μάγεργες, vt scribit Pindarus, σοφάτατοι, de obseruatione meliora proferent.

Libri secundi & vltimi Cometographia Antonij Mizaldi Monsluciani, Finis.

1549.

AD VIGILANTISS. IVXTA AC
eruditiss. Vrsicampi Abbatem D. Antonium
Leusfredum Antonius Mizaldus.

Si quis, docte Pater, dederit tibi cærea pruna,
 Caseolum, rosulas, aut raptum ex arbore nidum:
 Hæc bonitate tua non adspernatus, aperto
 Accipies vultu, tecumq; putabis amicos
 Hosce animos summa de sedulitate probandos.
 Quâ spe perpulsus quos pridem in montibus altis
 Vranæ flores collegi mitto libenter.
 Hos si pro solita dignaris fumere fronte,
 Scandentiq; tuo Mizaldo dexter adesse:
 Dices hûc memorem & magno cû fœnore gratû.

IDEM AD D. PETRVM BAZI-
num Abbatem prudentissimû, S. Ioan-
nis, ad vineta vrbis Sueffionum.

Abbas diserte & Mecœnas studentium

Laudande doctis omnibus:

Vt nullus altum uasculo fontem breui

Tentaui unquam claudere:

Sic (crede) nunquam tentabo laudes tuas

Versu minuto claudere.

Scribenda ui sunt grandiore hæc: te tui

Laudant satis probè probi.

Ac ut te honestant hic: ipse sic illis decus

Contrà refulges splendidum.

Nostros labores quos tibi committimus

Dignare prospectu tuo,

Abbas diserte, & Mecœnas studentium

Laudande doctis omnibus,

GERVASII MARSTALLERI

Carmen in Cometographiam

Antonii Mizaldi.

Multa sua prudens nobis Deus exhibet ira
 σύμβολα, iudicii signa q̃; multa sui.
 Signa, quibus moniti, meliorem deinde sequamur
 Actibus in nostris consilijsque viam:
 A que Deo veniam precibus votisq̃; petentes,
 Pœna aliqua saltem parte leuemus onus.
 Hosce (minas inter reliquas) monstratur in usus
 Aëris in summo flamma comata loco.
 Flamma, quidem physica ducens ab origine certum
 Principium: at mundo tristia fata notans.
 Non est materia celestis condita moles,
 Ut stellæ possit nomen habere sibi.
 Nam prius haud vsquam praelongo tempore visa
 Surgit, & aucta diu, deinde minuta perit.
 Non certo vehitur motu, diuersa que oberrat,
 Aetheris incensi per loca adusta vagans.
 Attamen haud casu, sed cœli ex viribus ortas
 Viscosas sequitur flammigerasque faces.
 Quæ variè pulsa radijs, motuq̃; figuras
 Ostendunt varias, nuntia certa mali.
 Sæpè comas, barbam non raro, cornua sæpè,

Inter-

Interdum discos, Martia tela, faces.
 Sunt quæ vasa putes, gladios, equitès ue, rosàs ue:
 Sunt quibus est longa forma recurua tubæ.
 Hos tamen appellant vno plerunq; Cometæ
 Nomine, prodigij grandis & instar habent.
 Istaque non falso subiit sententia ductu
 Mentibus: haud vanus provenit inde timor.
 Ventorum insuetis nam fluctibus aëra complent,
 Vnde domus, vrbes, oppida sæpè ruunt.
 Plus satis exiccant telluris viscera: peste
 Inficiunt auram, corpus & omne sua.
 Hinc frugum tristis manat corruptio, rerum
 Viuarum interitus, pernicièsque grauis.
 Quin etiam clades populorum, fatàq; regum
 Noxia & imperij bella, vicesque notant.
 Hac generi humano cum debita pœna statuta est
 Talia monstrantur signa timenda prius:
 Quæ pellant homines ad frugum munia vite,
 Et faciant summi poscere patris opem:
 Vnde queunt tolli, placato aut numine saltem
 Leniri instantis pondera tanta mali.
 At quia securos nimium, nimiumq; socordes
 Hac nihil officij nos pia cura mouet,
 Nullus adhuc abiit sine magna clade Cometæ,
 Strutuiam hicq; suam sæcla priora dolent.

Felices

Fælices autem quos ista pericula cautos
 Efficient, plagis ne obruta turba sient.
 Hoc tibi consilio præstans Mizaldus, in vnum
 Omnia congeßit talia signa librum.
 Illorum phyzicas dum causas ordine reddit,
 Natura arcanum & grande reuelat opus:
 Dum verò euentus, mortalib. inde secutos
 Enumerat, veterum fata notanda refert.
 Hoc inter summum quæ cætera commoda præstant,
 Aëris has flammæ quod metuisse docent:
 Nec metuisse modò, sed correxisse futurum
 Sedulitate, Dei præsidioq; malum.
 Hæc tibi cuncta suo dum præstat, candide lector,
 Mizaldus, Phæbi spesq; decusq; libro,
 Crede mihi, à cunctis, ad quos hic prouenit vsus,
 Illi debetur gratia, lausq; fauor.

F I N I S...

OPTIMO DOCTISSIMO QVE
 viro D. Paulo Ebero Kitzingenſi, Leucoreæ bona-
 rum artium profeſſori publico, præceptori ſuo
 plurimum ſemper obſervando
 S. P. D.



Oſtquam ego, vnà cum plerisque
 Academiae veſtræ membris atque
 alumniſ, tâquam per naufragium
 à vobis abductus fui, poſt multas
 tâdem ex vno flumine in aliud iactationes ad
 Sequanam Pariſiorum, fluctibus aliquanto
 mitioribus, ſum delatus: vbi portum aliquem
 conſecutus inter cæteros viros bonos ac præ-
 claros, quorum, dei beneficio familiaritas &
 amicitia hic mihi contigit, ſingulare mecum
 neceſſitudinis foedus, pro inſigni humanita-
 te ſua, inijt vir optimus, D. Antonius Mizal-
 dus, in omni doctrinarû genere foeliciter ver-
 ſatus. Is, quum inter alias quâplurimas lucu-
 brationes ſuas hanc mihi, quam vnà iam ac-
 cipis Cometographiam monſtraſſet, rogare
 me cepit, ſi quid eiufdem argumêti haberem,
 id ſibi communicarem. Ego verò etſi præci-
 puam librorum meorum ſupellectilem apud

Dd

vos

vos, spe reditus, haud inuitus & hæcenus reliqui, & diutius relinqui volo, aliquos tamen libellos, peregrinationibus aptiores, ex prælectionibus vestris doctissimis pariter ac fidelissimis collectos tam consolationis meæ ac memoriæ vestrum firmioris, quàm discendi causa mecum circumfero: in quorum numero haud infimum locum habet is, quæ anno, nisi fallor, quadregesimo quarto ex tuis in secundum Plinij lib. annotationibus congesti. Qui cum inter alia multa Cometarum Catalogum, succinctum quidē, at historiarum amplitudine verborumque pondere refertissimū contineat, duxi ne utiquam boni viri officium esse tantum thesaurum celare eum, qui eadem in re tam strenuè, nobis potius quàm sibi laborasset. Ostēdi igitur Mizaldo iam nominatum & abs te nobis dictatum Cometarum Catalogum: qui ad eò illi placuit, ut modis omnibus mihi tantisper instaret, dum precibus & argumentis eius adductus nescio qua Gigantea audacia typis eum in calce Cometographiæ suæ excudendum traderem. Nihil enim acquiescebat mihi neganti, fas esse alienum laborem in scio autore euul-

euulgare: obijciens & publicam vtilitatem, priuatæ anteponendam, & Germanorum, præcipuè eorum, quos vestra Academia informauit, consuetudinem, qui honestis potius ac necessariis studiis volunt consulere, quàm proprio nomini & existimationi: vt solent *κακὸς ἄνθρωπος* isti, qui dum pro Horatij præcepto suorum studiorum fructus non in septimum modò annũ, sed nescio quot septenos premunt, multos interim, quos lucubrationibus suis iuuare possent, impiè negligunt, & tandem morientes sua secum scripta auferunt, vel saltem manca mutilaque relinquunt. Hæc cùm verissima esse certò sciam, non volui amplius mea illa vt excusatione. Credo enim te haudquaquam egrè laturum id factũ meum, vbi legeris eruditissimã Mizaldi eadem de re commetationem, ac videris quàm aptè tuus illi catalogus sit adiectus: nam gratum haud dubie ac periucundum tibi erit, talem cum naçtum esse locum, vbi multò plus voluptatis ac vtilitatis adferet ijs, qui prius integram Cometarum descriptionem ex Mizaldi libris acceperint: vbi deniq; plus fauoris atque laudis merebitur, quàm si nudus se-

Dd ij

orsim

orsim in publicum prodiret. Vnum itaque hoc, quo minus publicandum Catalogum tuum iudicarem restabat, quod vno in loco non pauca, ut mihi videtur, à me (cum fortè à prælectione abessem) sunt omiſſa, quodque aliquibus in locis inter transcribendum errasse me existimo. At ne hoc quidem Mizaldus admittebat, dicens, haud consultum esse, ut tam utilis ac eruditus labor ob tantillum defectum ex mea negligentia ortum, diutius lateat, adeoque commodam prodeundi in lucem occasionem negligat: quinimò, aiebat, hac ratione author instigabitur, ut eundem Catalogum apud suos edi curet, non modò correctiorem sed multò etiam locupletiorè. His inquam rationibus persuasus, ut sinerem Cometographiam tuam prælo cõmitti, hanc ad te, colende præceptor, epistolam præfigere volui: tum ut sic instituti mei rationes tibi redderem: tum ut meū erga te, vosq; omnes præceptores meos debitū amorē & obseruatīā in hac tāta veritatis bonorūq; hominum abnegatione, quæ iam, proh dolor, in maxima hominum parte per subitam & inauditam omnium rerum μεταμόρφωσιν fieri conspici-

citur

citur, ex hoc à vobis remotissimo loco, vbi exulare malo quàm in patria, declararé. Oro autem Deum patrem liberatoris nostri Iesu Christi, vt propter hũc filium suum, vos omnesque pios vnà cum studiis vestris benignè seruet, regat ac gubernet, meque vobis tranquillitati pristinæ foeliciter redditis, tandem per opportunitatem commodè restituat.

Salutat te omnesq; vestros officiosè ornatiss. iuuenis Michael Caropolites Francus, tibi, vt scio, & discipuli & amici nomine charissimus, mihi vero hic iam cùm vestro nomine, tum ob virtutes proprias & eruditionẽ eximiam coniunctissimus. Salutabis tu quoque verbis meis isthic totum præceptorum & amicorum coetum. Vale cum omnibus tuis atque nostris foeliciter quamdiutissimè.

Lutetiæ Parisiorum ex Collegio Bellouacensi: Anno manifestatæ salutis ho-

minum 1549. decimo Calen-

das Aprilis.

Dd 3

Catalogus Come- TARVM, QVOS INSIGNES cuentus secuti sunt.

1
Cometes cor-
nutus,



Ometes fulsit cornu figura, eo tem-
pore, quo Xerxes decies centum
milibus armatorum Græciam in-
uasit, & multis vrbibus direptis
& incensis tandem duce The-
mistocle nauali pugna superatus fugiens vix euasit.

2
Cometa ven-
tosus.

Paulò ante initium belli Peloponnesiaci, quod
fregit Græciæ vires, post Solis occasum Cometa con-
spectus est ingens dies continuos 75. Mox tanta vis
ventorum coorta est vt lapidem vehiculi magnitudi-
ne à rupe auulsum & sublatum in sublime turbo fer-
ret, donec ad Vrbem Thraciæ Aegospotamos de-
latus, è cælo decidisse vulgò creditus est. Eam tempe-
statem prædixit Anaxagoras, qui vixit tempore Pe-
riclis, autoris belli Peloponnesiaci. In fine huius belli
ad illū locū Thraciæ Athenienses, cū classe imperiū
Græciæ amiserūt. Huius Cometa mentionem facit
Aristoteles lib. 1. Meth. cap. 7. Plutarchus in Ly-
sandro. Plinius cap. vigesimo octauo libri secundi.

Athenienses
Græciæ imperi-
um amittunt.

Euclea

CATALOG. COMETARVM. 215

Euclea Athenis pratore, paulò ante cladē quā Atheniēses in Sycilia acceperūt grauiss. visus est Cometa in Septentrionali parte cæli, sole circa punctū solstitij hyberni versante: vt autor est Aristoteles cap. 6. lib. 7. Meth. Accidit autē clades illa Sycula olympiade 92. vt testatur Plutarchus in vita Lysie.

3
Cometa cladis
Atheniensium
præco.

*Cometa conspectus est Aristeo Athenis prætore, hoc est, anno 4. Olympiadis 101. (quod constat ex Achaicis Pausaniē) quem Aristoteles subinde magnam stellam & magnum Cometam vocat: hyeme in serenitate & frigore maximo, vesperi paulò post occasum solis: post quem ipse quoque mox occidit, cuius splendor occupauit tertiam partem cæli. Motus eius fuit ab occasu equinoctiali versus Austrum: & cum peruenit ad cingulum Orionis extinctus est. Hyemis illius reliqua pars fuit admodum sicca & abundans flatibus Septentrionalibus. Postea cum contrarij vēti simul spirarent, Aquilo in sinu Corinthiaco fluctus concitauit: extra sinum verò Auster obluetās cum fluctus intra sinum cogeret, post aliquot ter-
re motus, quibus Achaie vrbes, Helice & Bura corruerunt: accidit etiam diluuium, quod magnam vastitatem Achaie attulit. Anno deinde secūdo ad Leuctra in Bæotia Lacedæmoniorū vires ita accisę sunt, vt imperium Gracię amiserint, & pristinam poten-*

4
Cometa hyber-
nus magnitudi-
nis prodigiosę.

Cometa admo-
dū vētosus, plu-
uius, terrę suc-
cussator et Mar-
tius.

potentiam nunquam postea recuperare potuerint.

5
Iubæ effigies
in hastam mu-
tata.

Olympiadé 106. iubæ effigies mutata est in hastam: Anno urbis conditæ 398. quo anno templum Apollinis Delphici à Phocensibus direptum duce Philomelo, causam præbuit bello sacro secundo: quod gessit Philippus Macedo decem annos, cum Phocensibus, magna cum totius Phocaicæ clade ac deuastatione.

6
Cometa ven-
tosus.

Lycomacho Athenis Prætorè, ut inquit Aristoteles, paucos dies Cometa arsit iuxta circulum equinoctialem: quem est secutus ventus horribilis prope Corinthum. Constat autem ex Diodoro Siculo hunc Lycomachum fuisse Athenis ἀρχοντα, anno 4. Olympiadis 109. quo tempore, aut paulo post, Athenienses Demosthenis suasu cum Philippo Macedone cōgressi, ad Cheroneam cessi sunt: quæ clades vniuersæ Græciæ & gloriam dominationis & libertatem vetustiss. finijt.

7
Cometa igne⁹
rubicūdus &
orbicularis.

Post mortem Demetrii Syriæ regis, cuius Demetrius & Antiochus liberi fuerunt, Cometes effulsit nō minor sole. Primò igneus ac rubicūdus orbis fuit, clarumque lumen emittens, quanto vinceret noctem. Deinde paulatim magnitudo eius districta est, & euauit claritas, nouissimè autem totus intercidit. In hoc tempus incidit excidium Carthaginis, et bellum Achaicum

Achaicum, quo funditus deletæ sunt vrbes Graciæ clarissimæ Corinthus, Thebæ, Chalcis, & quedam alia. Est autē Carthago deleta anno vrbis 607. Corinthus anno sexto post.

Anno vrbis 652. quo Marius Cymbrorum, & Teutonū copias ingentes fudit, ardentia iacula & scuta in cælo cōspecta sunt.

8

Iacula ardētia & scuta.

Octavio consule, hoc est, anno vrbis 667. Plinius dicit, Cometem fulsisse ante bellum ciuile luctuosissimum, quando Cinna cum exercitu reduxit in urbē Marium exulem, qui extrema immanitate sēuit in præstantiss. patritij ordinis viros: quam lanienam Marij, reuersi ex Asia, Sylle crudelitas superauit etiam.

9

Ante bellum ciuile Pompeij & Cæsaris aliquot Cometae flagrarūt, teste Plinio & Lucano: quod mutationem sempiternam toti imperio Romano attulit.

10

Cometæ Cæsariani.

Post interfectum Iulium Cæsarem iterum aliquot Cometae emicuerunt, ut testatur Verg. inquitens:

11

Non alias cælo ceciderunt plura sereno

Fulgura, nec diri toties arserunt Cometa.

Ex quibus is fuit, quem legimus tēpore ludorū per 7. dies in regione cæli Septentrionali cōspectum esse, & oriri solitū circa vndecimam horam diei.

12

Paulo ante mortem C. Cæsaris Cometa à Sep-

Cometa obscurus & lugubris.

Ee

tentrio-

tentrione in verticem surgens, Orientem petiit, semper obscurior.

13

Cometa sex
mensium.

Sub initium principatus Neronis alius Cometa & ipse à Septentrione cedens, sed in Occidentem tendens ad Meridiem flexit, et ibi se subduxit oculis cum durasset menses sex. Non multò post Hierosolyma deleta est.

14

Cometa vnus
anni.

Anno primo imperij Vespasiani supra Hierosolymam sydus stetit gladio simile, & Cometes annum integrum conspectus est. Anno sequente vrbs capta est, & perierunt vndecies centena millia Iudaeorum gladio & fame.

15

Cometa terra
motus præco,
pestilentiæ, incē
dii & mortis.

Quinto consulatu Titi, & Vespasiani patris septimo, Plinius scribit arsisse Acontia iaculi modo, ocysimo significatu. Nam mox terra motu corruerunt aliquot oppida in Cypro & alibi. Secundo anno pestilētia adeo Romæ seuiit, vt per multos dies in Ephemerides dena millia hominum mortuorū referretur. Tertio anno post Cometē Vespasianus mortuus est. Sequēte anno Vesuntij montis incendium aliquot vicinas vrbes exussit. Altero deinceps anno Titus cum hominum luctu obiit.

16

Stellæ per diē
visæ.

Commodo Antonio, Marci filio imperante stellæ per diem perpetuò apparuerunt, & quædam ex ijs in lōgum productæ, medio quasi aëre suspensæ videbantur

bantur. Eodem tempore pestis per Italiam grassata est, & terra motus concussit. quasdam partes vrbis Romæ: ex quo incēdium ortum est, quo tēplum Pacis & Vestæ cum pluribus alijs ædificijs conflagrauit. Occiso deinde Cammodo: & Pertinace bella ciuilia grauissima gessit Seuerus contra Iulianum imperatorem in Italia, Vescenninum nigrum in Syria, Albinum in Gallia.

Ante mortem Constantini magni Cometes insolite magnitudinis aliquandiu fulsit: qui significauit horribilia bella ciuilia, quæ filij Constantini inter se gesserunt: item distractionem Ecclesiarum miserabilem, quam attulit hæresis Arriana.

17

Cometes insolite magnitudinis.

Imperante Theodosio Cometes aliquandiu apparuit, quo tempore Gothi & Vandali in Thraciam irruperunt: quos tamen fortiter repressit Theodosius. Sed post eius mortem imperantibus filijs Arcadio et Honorio Gothi iterum concitati perfidia Ruffini Italiam & multas alias terras crudeliter vastarunt.

18

Gothorū irruptionio.

Capta etiam Roma post biennij obsidionē. Totū illud tempus à Theodosio ad Iustinianum vsq; magnis ac multiplicibus omnium ferè imperiorum mutationibus adeo fuit calamitosum, vt nihil supra. Quis enim historiarum vel mediocriter studiosus, ignoret fortissimarum gentium ex Aquilone & Ger

Roma capta à Gothis.

Ee ij mania

mania migrationes, ac bella grauissima, quibus vniuersum Romanum imperium Occidentis, in diuersas parteis multipliciter distractum, ac tantum non funditus euersum est? Nimirum à Gothhis & Vandalis, Roma capta direptaque aliquoties, tādē & incensa est. Hunni præterquam quòd Italiam Attila Duce crudeliter, adfligebant, Galliam quoq; validissimo exercitu intrarūt: vbi tamen ab Aetio Romano; Gothhis, & Francis, qui Romanis Galliam ex maxima parte iure belli extorserant, ac à suo nomine Franciam denominarant: ingenti prælio superati, prostrati, ac in Pannoniam, quam iam dudum occupatam tenebant, repulsi sunt. Vandali Italiam, Galliam, Hispaniam & Aphricam summa crudelitate peruagati ac depopulati sunt. Gotthi similiter & Sueuorum quædam pars, per Galliam transeuntes in Hispaniam, præcipuam eius partem habitare cæperunt. Iisdem temporibus Scoti, Picti & Saxones Britanniam Romano Imperio eripuerunt, sibiq; subiecerunt, eiecta Britannorū potissima parte, quæ post apud Armoricos concedit. Longobardi quoque Cisalpinam Galliam Iustino imperante obtinuerūt ibique regnum constituerunt. Quin, vt breuiter dicam, tota Europa vix alia tum fuit, quàm humani generis cruēta quædam laniena. Neque dubium est,

quin

quin tum etiam Eclipsium, Cometarum ac id genus alia prodigia, prænuncia maximarū in Imperijs calamitatum, frequenter apparuerint: licet à Chronographis ea non omnia vel animaduersa vel memorata legantur.

Tandem cū innumera penè mala in Occidentali orbe nonnihil deſcuiſſent, Gregorij primi Pontificis Romani temporibus, inter cætera prodigia conſpectus eſt & Cometes, quem in Italia biennij famēs ſecuta eſt. Nec multo poſt in Arabia natus eſt Mahumetes, qui noua quadam religione ex Chriſtianorum & Iudeorum dogmatis conſuta, totius Orientis pleraque regna nequiter infeſcit. Quemadmodum idipſum & alia quadam ſimilia, non uſq; adeò obſcurè prædicta ſunt, in vaticinijs Danielis Propheta, & Ioannis Euangelifte.

Anno 673. flamma maximo populorum terrore per 10 dies conſpecta eſt. 20

Anno quarto poſt, alius Cometa tres menſes ap- paruit. Circa id tempus Sarraceni iam potentes in Oriente & Aegypto, in Syciam traieciunt, eaq; direpta redeunt Alexandriam. Bulgari etiam ex Scythia egreſſi, vaſtata Thracia, loca ad Iſtrū, qua hodie tenent, occuparunt.

Anno 729, duo Cometa menſe Ianuario, 15 dies
Ee iij fulſe- 22

fulserunt: quorum alter manè ante Solem orientem conspiciebatur, alter vero vespere occidentem Solem sequebatur: quo tempore Leo Orientis Imperator imaginibus ex templis omnibus sublatis magnum in ecclesia tumultum ac discordiâ excitavit. Longobardi in Italia crudeliter grassantes Româ obsident, contra quos Pontifex Romanus Carolum Pipini patrè Francorum regem accersit in Italiam, à quo Longobardi repressi sunt, & non ita longè post propemadû deleti, capto Desiderio ultimo eorum rege, à Carolo magno, quando etiam Titulus imperij Romani in Francos transfatus, adhuc à Germanis tenetur.

23 Anno Christi 841. Cometæ aliquot conspecti sunt, & secutum est dissidium inter Lotharium Imperatorem Ludovici Pij filium, & eius fratres, propter divisionem imperiorum, quæ reliquerat illis pater. Hinc namque bellum intestinum, idque atrocissimum oriebatur inter Frâcos, quo ipsorum vires adeò debilitatæ & accisæ sunt, ut in priorem statum redire postea nunquam potuerint.

24 Anno Christi 1000. præter alia prodigia Cometes aliquandiu conspectus est, & secutus terre motus horribilis. Triennio post Ottho 3. sapientissimus imperator qui summo beneficio Imperium Romanum affecit, constituit 7. Electoribus ad cauendas dissensiones

siones & bella intestina, qua in electione Imperatorum saepe anteà extiterant, veneno sublati sunt fraude vxoris Crescentij.

Anno 1006. Cometes in Australi parte celi emicuit, qui attulit sequenti anno famem & pestem miserabilem, fere per totum orbem. Quo tempore etiam Pontificum electio turbauit ecclesiam, donec Henricus tertius edictum proposuit, ne quis pro Pontifice agnosceretur, nisi Imperator Romanus electionem eius ratam habuisset. Quod edictum postea, dum impugnaret Pontifices, causas praeberunt atrocissimis bellis ciuilibus in Germania, imperantibus Henricis quarto & quinto.

Anno 1097. Cometes in occidente, initio Octobris. 8. dies conspicitur, quo tempore Henricus quartus cum vix debellasset eos, quos Heltebrandus pontifex contra ipsum concitabat, propter edictum patris, de quo supra dictum est. A filio etiam Henrico quinto, bello impetitur, quem Episcopi autore Pontifice contra patrem instigauerant. Quo bello Noriberga solo aequata est, cum praestaret fidem patri Imperatori, qui paulo post morore extinctus est.

Anno 1109. alius Cometes arsit, secundo anno imperij Henrici quinti. Contra quem cum Pontifex armasset Saxones, nouum & funestissimum bellum ciui

224 CATALOG. COMET.

ciuile in Germania ortum est, quod sedari nō potuit, donec Imperator victus, pertinaci ambitione Pontificum, edictum aui aboleuit.

28

Anno 1240. Albertus Magnus scribit se uidisse in Saxonia Cometam propè Polum Septentrionalem: cuius coma spectauerit ortum brumalem, quē precessit anno proximo Eclipsis Solis. Anno sequenti in Burgundia terra motu duo montes concurrentes & valles interiectas coarctantes multa agricolarū millia oppresserunt. Anno tertio Sarmata ex Asia in Europam traiecerūt, & Thraciam, Graciam, ac Pannonias magnis cladibus affecerunt. Circa idem tempus Fridericus secundus Imperator omni virtutum genere ornatissimus, Pontificum iniurijs varijs affectus, Italiā armatus inuadit, ac Romā aliquandiu obsidet. Quando etiam tota Italia est distracta in duas factiones Guelphorum qui tuebātur pontificum furores, & Gebelinorū qui partes Imperatoris defenderūt. Ex qua discordia infinita cædes deinceps ortæ sunt. Paulò pōst imperator excommunicatus & ab imperio remotus, electo per factionem pontificiam in Germania alio Imperatore, cū ab omnibus destitutus esset, dolore animi, vel, vt alii scribunt, veneno extinctus est.

Guelphi &
Gebelini.

29

Crinita trium
mensium.

Anno 1264. mense Augusto crinita stella in
Orien-

Orientis cali parte conspecta est tres menses, ab ortu ad medium calum crines diffundens, & evanuit ea ipsa nocte qua Urbanus Pontifex obiit. Incidit hic Cometa in interregnum quod post Wilhelmm Imperatorem, qui in Phrisia occisus est, 17 annos duravit, quo tēpore afflictissimus fuit status Imperij, ac Germania vastata tot bellis civilibus, quæ cōcitauerant Pontifices, dum conabantur sibi subijcere imperatoriam maiestatem. Eodem tempore clariss. familia ducum Sueviæ, extincta est. Nam Conradinus Conradi filius, ultimus Sueviæ Dux, petens regnū Neapolitanum, quod post mortem patris, ad ipsum hereditario iure pertinebat, Clementis 4. Pontificis immani consilio & fraude, captus, ac securi percussus est.

Anno 1301. Cometa conspicitur, & anno sequēti Belga seditione mota ob crudelitatem præfectorum, 30 à Gallorum Rege deficiūt, quos cū Gallus domaturus valido exercitu Flandriam esset ingressus, ad Tornacum magna strage suorum est repulsus, quo bello, quod quinquennium duravit plures 300. nobilissimi ex Francis dicuntur occisi. Paulo post Albertus primus Imperator, à fratris filio & Comitibus quibusdam Austriæ per insidias confossus est. Quadriennio post Cometam, sedes pontificia trans-

Ff lata

Quādo sedes pontificia in Galliā trāslata. *lata est Auenionē in Galliam, vbi hæsīt annos 7. Circa hæc tempora Othomanni familia potēs fit apud Turcas, à quo originem trahunt imperatores Turcici.*

31. *Anno 1314 tres simul Luna in calo apparuerunt, & Cometa tres continuos menses horribili specie fulsit, quo anno post mortem Henrici 7. cū Electores dissentirent, duo simul imperatores electi sunt, Ludonicus Bauarus, & Fridericus Austriacus. Vnde grauißimum bellum ciuile ortum est, quod durauit 8 annos, donec tandem Fridericus in prælio captus, Ludouico imperij gubernationem reliquit.*

32. *Anno 1337. adhuc imperante Ludonico Bauaro Cometes, 4 menses flagrauit, quo nec dum extincto alter emicuit, qui duos menses durauit.*

33. *Biennio post alius Cometa conspici cæpit. Proximo anno secuta est pestis, quæ atrociter grassata est in Italia. Incidūt hi tres Cometa in tristissima tempora postremi imperij Ludonici Bauari, qui ob leues causas à pontifice Clemente excommunicatus est, quem nō potuit vllis precibus placare, quo minus incitaret quosdam ex electoribus ad eligendum nouum imperatorem, qui crearunt Carolum quartum.*

Ex

Ex qua re noui tumultus in tota Germania exorti sunt. Nam sequenti anno mortuo optimo imperatore Ludouico, cum, qui elegerant Carolum, eundem imperatorem ferre nollent, & contra eum Guntherum Comitem Schuarzenburgensem crearent, iterum ad arma concursus est. Mox tamen veneno sublatus Guntherus imperium Carolo concessit.

Anno 1352 Cometa sub ipso Septentrione mense Decembri apparuit, quo extincto vehementes ventorum flatus subsecuti sunt. Post etiam inusitata figura flamma in aëre exarserunt, & locustæ agros passim vastarūt. Circa quæ tempora ortum est inter Pontifices, mortuo videlicet Gregorio 11. schisma horrendum, quod durauit ad cōcilium vsque Constantiense, 39 annos, præsidentibus simul duobus Pontificibus, altero Auenione, altero Romæ, qui se inuicem excommunicantes, Ecclesias Europæ conturbant.

35

Cometa vêtō
sus cū multis
flāmis aeris.

Anno 1403. Cometes visus est in Oriente, qui versus ortum ferebatur, quo tempore Tamerlanes Scythia penè totum Orientem & Asiam populabundus peragrauit exercitu decies centum millium. Qui occurrentem sibi Paiazetem Turcarum

36

Tamerlanis
exercitus prodigiosus.

Ff ij

impera-

imperatorem praelio superatum ac captum inclusit caute terræ, ac ad ludibrium secum circūduxit, donec vixit. Eodem tēpore Ioannes Huß docuit in Bohemia cōtra Ecclesiam Romanam, vnde magni motus orti sunt, qui longo tempore durarunt, in multis locis etiam Germania.

37

Cometa miræ
longitudinis.

Anno 1456. præter alia prodigia mēse Iunio Cometes in 15 gradu Cancrī in Oriente per mensem cōspicitur, tantæ longitudinis, ut amplius quàm duo cæli signa Coma tractu occuparet. Quem scribit Pontanus à se adolescente visum esse. Mēse Augusto ingens vis ventorum, multas villas, & quorundam oppidorum adificia euertit: sedato vento, terræ motus pluribus in locis vrbes concussit, ac quasdam contriuit. Eo tēpore Mahometes, capta ante trienniū Constantinopoli, plurimas Græcia atq; Asiæ vrbes subegit, Belgradum obsedit. Vnde repulsus virtute Ioānis Hunniadis, Lemnum, Mytilenen ac totam Eubæam occupat.

38

Cometa Nī
ger dictus.

Anno 1457 annotatum inuenio alium Cometā mēse Iunio fulgere cæpisse in vicesimo gradu Piscii, ex eo Cometarum genere quos Nigrōs vocant, & secutum mox terræ motum, qui montes ad lacum Benacum hiatu aperuerit, & grassatam esse postea pestilentiam diuturniorem. Hic si non est idem cum
præce-

precedente, significat & ipse Mahometis mirabiles successus ac victorias cōtra Christianos. In annū sequentem Alphonſi mors cadit, quæ multas Italiae vrbes longo, & graui bello implicuit. Quod eleganter descripsit Pontanus.

Anno 1472 Idib. Ianuarij visus est Cometa sub

39

Libra, prope stellas Capricorni, cuius caput parui motus fuit, donec peruenit ad Arcturum: hinc per crura Bootæ ascendens, transcurrit inter duos polos Zodiaci et æquinoctialis celeritate sūma, ita vt vno die, naturali 40. gradus magni circuli, in Zodiaco verò cū celerrimus fuit vno die 4. signa conficeret, ab Vrsa minore digressus Cepheæ attigit, inde petus Cassiopeiæ ventrem Andromadæ, medium Piscem Septentrionalem vbi propior factus Zodiaco de celeritate multum remisit. Transgressus autem eclipticam iuxta 15 gradum Arietis ad stellas Ceti vsque peruenit. Ibi sole superueniente occultatus est vltimis diebus Februarij, nec ex radijs Solis emerſit iterum. Cauda verò semper spectabat stellas Geminarum. A motu igitur, colore & figura indicatus est esse naturæ Veneris. Præcedenti anno, Eclipsis Lunæ facta est die 27 Nouembris in Geminis. Eo ipso in loco, quo paulo antè coniuncti steterant Mars & Saturnus, & dominus signi Mercurius multis de

Hunc Cometā ex Zieglero descripsimus cap. vlt. lib. 1. nostræ Cometograph.

W. H.

Ef iij

causis

causis erat infortunatus. Significauit igitur in genere iuxta Arabum præcepta mutationem legum ac institutorum, & nouarum rerum cupiditatem. Est autem is Cometa descriptus diligenter à quodam Gircensi, qui certis obseruationibus deprehendit diametrum capitis Cometae equare longitudinem 26 miliarium Germanicorū. Comam autem in latitudine equare 81 miliaria, in longitudinem autem plus quā quater mille miliaria Germanica. Incidit hic Cometes in annum 32. imperij Friderici tertij, patris Maximiliani. Euentus autem qui secuti sunt, petant studiosi ex Pontano, qui hunc Cometam & carmine luculentissimo in Meteoris, et soluta oratione descripsit in commetario vltima propositionis Centiloquij Ptolemæi.

Hæc obseruet lector ac diligenter videat.

40

Cometa Saturninus cū propriis effectis.

Anno 1477. Cometes cæruleo pallore subniger apparuit, qui Saturno ascribitur, & interitus ac cedes portendere putatur. Eo anno frumenti caritas inaudita fuit, ob æstum, qui tantus fuit, vt syluæ alicubi incensæ conflagrauerint. Agmina etiam aliquot locustarum agros vastarunt, & secuta est pestilentia horribilis in Italia. Eodem anno Carolus Burgundus à Lotharingis ac Heluetijs ad oppidum Nanceiam in prælio acerrimè dimicans occiditur. Post cuius mortem Gallo conante suæ ditionis facere Burgundiam

diam, difficile bellum exortum est. Pleraque Chronica testantur Caroli Burgundiae Ducis mortem in acie contigisse, propè Nanceiam, Anno 1477. Ac testantur ciueis Nanceij, conflixisse exercitus, pridie festi Epiphaniae Christi, manè post ortum Solis existentibus in aëre nebulis. Annum verò 1476 fuisse versiculus testatur, qui Nanceia in tēplo iuxta arcē, monumento ad sepulchrum Caroli, post Epitaphium carmine conscriptum, adiectus est,

eCCe Leo CeCIdIt, IaM paX qVesIta
VIgebIt.

Vbi singulae literae numerorum suos annos connotant. Caroli filiam eodem anno duxit Maximilianus, et factus est dux Burgundiae. Biennio post Mahometes ingentibus copiis Pannonias vexauit, alio exercitu Rhodum obsedit & classem in Appuliam, transmisit, vbi capta Hydrunte crudeliter à Turcis secutum est, qui longius in Italia progressi fuissent, nisi peropportune Mahometis mors, eos ex Italia retraxisset. Mortui sunt paulo post Edouardus rex Angliae, Ludouicus rex Galliae. Maria Burgundica uxor Maximiliani iam grauida, in venatione de equo delapsa moritur.

Mortes multo
rum celebres.

Anno

41
Natiuitas Car.
imperatoris et
Solymani.

Anno 1500 quo Imperator Carolus & Solymanus Turcarū imperator nati sunt, Mense Aprili cōspectus est Cometes. Eo anno die S. Laurentij Modona vrbs capta est à Turcis, & alia quadā loca Peloponneſi. In Persia Iſmael Sophi mutationem religionis Mahometana instituens inclareſcit, ac Perſiam cum vicinis regionibus Turcis adimit. Poſte à peſtis etiam horribiliter ſauijt penè per totum orbem, quam prænuntiauerunt crucis imagines Anno 1503. ex aëre veſtib. humanis temerè illapſæ. Et mox anno 1504. bellum Bauaricum ſecutum eſt.

42
Cometa dictus
cauda pauonis.

Anno 1506 paulò antè quàm mortuus eſt Philip-
pus Hispaniarum Rex, Imperatoris Caroli pater,
Cometa fulſit in Septentrione, prope Plauſtrum, tra-
hens ſplendidam & denſam caudam, quam expā-
dit intra priores & poſteriores rotas. Ideoq; à noſtris
cauda pauonis appellatus eſt. Quo anno Turcæ
magna cum ſuorum ſtrage conſlixerunt cum Per-
ſis. Anno ſequēti exarſit bellum Venerū, quod varia
fortuna geſtum eſt ad annū vſque 1512. Quo ad Ra-
uennam Pontificis Iulij copijs caſis pax facta eſt.

43
Multorū Co-
metarū hiſto-
ria.

Anno 1531. à 6, die Auguſti vſque ad 3, Septēbris
vidimus Cometam in Leone ad initium Libræ vſq;
progredientē, tardiore motu, quē anno priore præceſ-
ſerant due Eclipſes. Hunc ſecutus eſt alius anno ſe-
quente

quente, qui conspici cœpit 23 die Septemb. vsq; ad 20 Nouemb. in Capricorno. Fuit autem sub initiū incensi Cometa coniunctio Martis & Solis in Leone. Tertius anno 1533 apparuit, mense Iulio.

Anno 1538. die Ianuarij 18. Quartum vidimus Cometam, qui sequebatur Solem vesp̄ri, videbaturque in Piscibus vehi. Flamma erat pallida & longa à Brumali occasu versus ortum solstitialem porrecta. Mortuus est sequenti anno dux Georgius Saxoniæ amissis paulò ante filijs. Quintus Cometa anno sequenti 1539 conspectus est primū die Maij 11. circa caput Leonis, & mox extinctus est. Primos duos descripsit diligenter Apianus mathematicus, euentus autē qui secuti sunt, noti sunt omnibus. Sed agrè adduci possum vt credā nos perfunctos esse malis, quæ significata sunt tot prodigijs tam exiguo intervallo temporis conspectis. Facilius illis accesserim, qui putant, Cometis illis magnam aliquam rerum omnium mutationem portendi, quæ diuina clementia differatur longius, vt spatium sit respiscendi, seriò pœnitentiam agere volentibus, & vt tenellæ Ecclesiæ confirmari possint agnitione Dei. Vbi autem animi hominum fastidire salutarem doctrinam de Christo, & magna securitate cœperint frena laxare cupiditatibus, vt paulatim fieri videmus,

45

46

Magna rerum
mutatio à Co-
metis porten-
ditur.

Gg

ibi

Hęc videāt, le-
gant, & anim-
aduertāt verē
Christiani.

*ibi demum ingruent, tanquam diluuium aliquod, ca-
lamitates per Cometas prænunciata & afferet mu-
tationem rebus ac imperijs vniuersalem. Certè his
exemplis, quæ adduxi ostensum est, maximas quas-
que mutationes ac calamitates mundi præcessisse Co-
metarum incendia & alia prodigia. Nos dum per
tranquillitatem Imperiorum licet, sedulò confirme-
mus nos cognitione pura doctrinæ Euangelij de filio
Dei, ac instruamus nos cæterarum artium vsu, quæ
Ecclesiæ necessaria sunt. Petamus etiam ardenti-
bus votis à Deo mitigationem pænarum, quæ pro
foribus quasi cernuntur, & pænitentia vera decla-
remus nos seriò affici comminatione iræ diuinæ,
quam nunquam quisquam sine suo exi-
tio contempsit.*

FINIS.

Cometarum a supe-

R I O R I B V S D I V E R S O R V M

nec antea cōnumeratorum Catalogus alter,

cum his quæ secuta sunt: per Antonium

Mizaldum Monflucianum, ad an-

num vsque 1540.



Anno à natali Iesu 452, Cometes apparuit, post Lunę Eclipsim, post terra motum penè assiduum, & signa alia multa quæ ociosa nō fuisse ostendit instans rerum consequentia & status. Nam paulo post Attila Hunnorum Rex flagellum Dei vulgò dictus, à Pannonijs egressus occidentale imperiū cū quingētis milibus armatorum inuasit: per quem in vniuersa Gallia tanta Dei efferbuit indignatio, vt nullam omnino ciuitatē aut castellum ab illius furore vlla potuerit tutari munitione. Per ea fere tempora Aëtius Romanus Patrius vir bellicosiss. & Attila quondam terror, suorum inuidia accusatus, Valentiniiani iussu interficitur. & rursus à suis Romę Valentinianus, cuius cadem antequam planè sanguinolenta sanguinei Attila mors.

Attila seuiss.
hostis flagellū
Dei.

Gg ij

Nam

Nam post miserabilem Venetiarū cladem cū Leoni Pontifici minaretur, & Italiam denuo se velle invadere iactaret, sanguine implacabiliter è naribus fluente postremum exhalavit spiritū. Nec multo antè Nichasius Remensis archiepiscopus cum Eutropia sorore ab ipsis Hūnis martyrio affecti, in Christo obdormierant. Galli Britannia hostiliter ingressi, igni & ferro omnia vastātes subegerunt.

Nichasius &
Eutropia.

2

Anno 541, ipso die resurrectionis Domini Cometes insignis conspectus est: quem diuersa aeris signa praeceperunt in varijs Galliarum locis. Nā prae-terquam quòd calū ardere visum est, etiā verus sanguis in hominum vestes defluxit. Sequenti anno pestis omnium pestilentissima Constantinopolim pro animi sui sentētia atrocissimè exercuit: & Clotarius cum Childeberto fratre Casaraugustam in Hispanijs obsedit, illicque multa sibi et suis acquisiuit: nec multo post Gotthi Florentiam oppugnarunt.

Clotarius &
Childebertus.

3

Anno 676, Cometa tres menses à galli cantu usque ad Solis exortū in orientali tractu apparuit, post quem summa & prodigiosa pestis deseguit. Per eam tēpora Sarraceni Sicilia ingressi, in Alexandria praeda onusti redierunt & Grimoaldus Longobardorū Rex Beneuenti moritur ob venenatū medicamentū quod Cheirurgi ad cōprimēdam brachij aīuogēaxlan adhibuerāt, nono die post phlebotōmen dū tēso arcu colum-

Grimoaldus
moritur.

columbam sagitta traicere niteretur.

Anno 838, Cometes in signo Libra apparuit: et iterū sequente anno, alter in Ariete, vna cū frequentissimis traiectionibus. In signo Aquarij trienio post tertius emerfit: nec multo ante Northmani Gallias infestarat. Ludo. Pius Imperator diē obiit: tres filios relinquens, Lothariū, Carolū & Ludonicū, qui ob imperij paterniq; regni diuisionē inter se belligerantes, varijs prelijs multa hominū milia perdidērūt: ob quā causam diminutis eorū viribus, tandē conuenerūt vt diuiso imperio regnoq; paterno Lotharius Italiā & imperiū obtineret: adhuc Prouinciā & eā Gallia partē quā nūc Lotharingia à suo rege dicta est, olim Austrasie et Mediomatrici regnū. Carolus Caluus Rex esset Frācia, quā Britānicū oceanū et Mosam terminos haberet. Ludonicus Germaniā & Hūniā imperaret. Gregorius quartus Romanorum pontifex 103 moritur, cui successit Sergius secūdus. Per hac tēpora Carolus Calu^s, primus Frācici sāguinis, regnū quod verē Frācia dicitur separatim obtinet. Nā Carolus magnus & alij qui etate precesserāt, Germanicum quiddam referebant.

4
5
6
Tres fratres p
imperio belli-
gerantes.

Rex primus
verā Franciæ.

Anno 868, Cometes manifestē apparuit: qui vt tradūt, Nicolai Romanū pontificē de medio viuentiū auferendum prænūtiavit: sequēte anno apud Brixiam ciuitatem aer sanguine stillauit: & locusta per

Gg iij vni-

Locustę per v-
niuersā Gallia.

vniversam ferè Galliam segetes & plantas depopu-
lata sunt: ex quo miseram famem aduexerunt. Mi-
chael imperator à Basilio cubiculario, quem è Tugu-
riolo in suam dulam enexerat, Imperatorem maluit
interficere quàm ab eo interfici, post quem annis 17,
regnavit. Nec omittendum quod per ea tempora, vel
haud ita procul Lortharius Rex ad Adrianum Papā
se contulit. A quo, ut est in Chronico Sigeberti, dum
pro innocentie sue probatione (nam ab eo accusatus
fuerat) ad mensam corporis & sanguinis Domini
vocaretur, vnaque cum optimatibus regni sui eò sup-
plex accederet, & ipse & omnes qui corpus Domi-
ni sumpserunt intra annum perierunt.

Pōtificis in Re-
gē sceleratis.
scelus.

8

Ingēs aquarū
inundatio.

Anno 876, Cometes solito rutilantior apparu-
it, post quem subita & nimia aquarum inundatio
facta est in Iunio: adeò ut in Saxonia villa quaedam
longè à torrentibus & fluminibus remota in momen-
to cum hominibus, bestijs, arboribus, & edificijs cū
Ecclesia penitus absorpta sit, adeò ut nullum habita-
tionis vestigium remanserit. Per ea tempora Britones
Solomone eorum Rege mortuo, intestino bello regnan-
di cupiditate inter se colliduntur. Carolus Caluus
Francorum Rex 25 Mantue morbo correptus mo-
ritur, accepto veneno à Sedechia medico: & biennio
post Ludovicus Balbus.

Anno

Anno 944, Cometes mirę magnitudinis in Italia apparuit, quem præcessit & prænuntiavit Solis eclipsis horribilis, cuius imago veluti sanguine tinge-
batur: quo die in Hispania Abdaram Rex Sarraceno-
rum, à Radamiro Gallitię rege in bello superatus est.

Fames in Gallia tanta fuit, vt populus vel inhumano quoque cibo agrę sustentaretur. Stephanus Pontifex moritur, Beręgarius grauitè Italiã premit. Rex Otho Burgundiam sibi subiungat: & Regi Francorum Ludouico 32, Hugo Parisiensis Comes aduersatur.

Fames in Gallia vehemens.

Anno 1005. Cometes formidabili specie huc & illuc oberrās, in Australi parte visus est. Sequenti anno fames & pestis tam grauitè per totum penè orbē inualuit, vt sepelientium tadio, vini adhuc spiritū trahentes vnā cum mortuis obruerentur: moritur Ioānes 18, Pontifex Rom.

10
Pestis sauiis.
per totum ferè orbem.

Anno 1017, Cometes solito horribilior in modū trabis maxime, quatuor menses apparuit: per cuius tempora Benedictus 8 Pontifex Max. moritur, & Hugo filius Roberti Gallorum regis 36, quem antea pater Compendij coronandum curauerat.

11

Anno 1066, Cometes in tota Paschali hebdomade apparuit. Post quē anno proximo vel circiter, tres Soles simul visi sunt in Occidente Nonis Septembr.

12
Soles tres & Lunę totidē.

cx

ex quibus vna atque altera ab hinc hora, deficientibus duobus, qui medius fuerat solus occidit. Simili modo annis proximis tres Lunæ apparuerāt: sed hæc physticas habent causas. Per Cometæ huius labentia decreta, Roma à Friderico obsidetur, cuius exercitus pestilentia totus penè absumitur. & Gulielmus notus Northmanorum Comes cum Francis in Angliam traicit, vbi dicto Anglis prælio Araldum cum multis milibus perimit, & in Anglia annis sex & viginti regnat. Alexander 2. Rom. Pont. moritur.

Anglia à Francis capitur & occupatur.

13
Ostēta multa in aere.

Filius patrem Imperatorem carceribus macerat.

Anno 1106, Cometes toto penè Februariō exarsit: quem multa in cælo ostenta præcurrerunt. Nam duo orbes forma ex lumine quotidiano Soli persimiles apparuerunt, omnium colorum specie radiantes, quales in arcu cælesti visuntur. Insuper pridie Idus Februarij in Italia visæ sunt stellæ per diē nunc quasi inter se concurrentes, nunc quasi in terram cadentes. Per ea tempora Henricus, Henrici 4. filius cum Imperium assumpsisset, Henricum patrem nefando scelere, vsque ad mortem carceribus maceravit, cōtra ius omne, & naturæ leges: quod quàm indignè, declarat ipsius patris epistola ad Philippum Francorum regem propria manu scripta. Colonia obsessa oppugnatur sed non expugnatur. Philippus à Faramundo Francorum rege primo 38. per ea tēpora moritur

titur Meleduni, anno sui regni 49.

Anno III^o Cometes mēse Iulio apparuit radios crinitos dirigens ad Austrum. Henricus V. Imperator Romam proficiscitur ad sedādam discordiam quę erat inter regnum & sacerdotium, non sine magno scandalo totius orbis. Pascalis Romanus pontifex cū vniuersis Ecclesię proceribus ab Henrico intercipitur: qui eorum bona omnia in suorum militum prędam conuertit. Multę villa, ædes & Ecclesię incendijs pereunt & sacro igni accenduntur plurimi, membris carbonum modo nigricantibus & ambustis.

14

Romę discordia inter sacerdotium & regnum.

Sacer ignis.

Anno 1472, Cometes magnus per mensem Ianuarium visus est, quem Mathias Palmerius Pisanus in suo Chronico Perticam vocatū fuisse, vel Asconam tradit. Hic tamen à D. Ebero paulo antè et à nobis descriptus est, quia euētus insignes omisi fuerunt illos hic adscribere non pigebit. Imprimis sequēs annus glacie & niuibus infestissimus fuit, & vinearum partem maiorem pruina absumpsit. In Asia contra Persas magnum mouetur præliū. Hæzoncasam in Armeniæ finibus ingenti bello cum Mahumeto Turcarum Imperatore confligit: in quo triginta Turcarum milia caesa dicuntur. Iacobus Rex Cipri moritur: cuius filio extincto Veneti regnum occupant

15

Glacies, niues & pruina infestissima.

Veneti Ciprū occupant,

Hb Anno

Anno à Cometa tertio insolita aquarū siccitas perē
nes quosq; fontes exhaurit, & Turca transnato per
superiorem Pannoniam Danubio provinciam de-
pradantur. Henricus Rex Anglia filio Eduardo
principe occiso, interemptus est.

16

Anno 1491, ex observationibus Ioānis Regiomō-
tani Cometa circa principiū Arietis apparuit. Se-
quente anno Pōtifex max. Innocentius moritur. At-
trebatur à Maximiliani copijs noctu ex insidijs ca-
pitur. Expelluntur tota Hispania Iudaicarum fami-
liarum centum & viginti quatuor millia. Alphon-
sus Portugallia Rex florente etate equo delapsus sine
liberis moritur, & Lapis ingens triangularis figura
è celo prope Ensisheim cadit.

Iudæi ex Hi-
spania pellun-
tur.

17

Anno 1504, quemadmodum adnotauit observa-
uitque Ioachimus Heller, Cometa visus est, qui in-
gentem famem cū saeva pestilentia comitem habuit.
Bellum contra Genuenses & Venetos suscipitur. In-
testino bello post obitum ducis Georgij, Comites Pa-
latini Rheni, ac duces Bauaria de hereditate acer-
rimè deglantur. Paulò ante Papa Pius 3, mortem
obiit 27 die à suo pontificatu: cui successit Iulius 2.
Ligur.

Papæ dies bre-
uissimi.

18

Anno 1527 horribilis Cometa apud Westriā,
Mediomatrices & Treuiros visus est. Turcarum
Impera-

Imperator Vngariam igne & ferro vastat, Budam diripit, & Viënam obsidet, Roma à Duce Borbonio Carolo à monte Penferio et Casarianis capitur, Roma à duce Borbonio capta. vexatur, diripitur. Borbonius inter primos murum scandens occiditur, & Clemens Pontifex 40000 aureorum milibus captiuus ab hostibus redimitur.

Quaestores & rei nummaria praefecti pro meritis supplicijs egregiè in Gallia tractantur. Obsidetur Neapolis, vbi grassante peste dux exercitus Lautrecus & multi vitam cum morte permutant. Per totâ Grando & fa- mes ingētissi- ma. ferme superiorem Germaniam ingens grando arboribus, vineis & frumento damnum dedit maximū.

Fame plurimi mortales apud Insubres & in Venetorum agro perierunt Philippus Hessorum princeps expeditionem in Episcopos Mogūtinum, Herbipolensem, Bambergensem & reliquos factiosos parat. Anno secūdo post Cometa apparitionem aestas pluuiosissima terra nascentia omnia multis in locis misere pessundedit, & pestilentem auram quam vulgus sudorem Anglicū vocauit, toti Germania prius incognitū peperit, & alia quæ longum esset recensere.

Sudor Anglicus in Germania migrat.

Anno 1530, vt adnotauit Hellerus, Cometes apparuit. Buda à regis Ferdinandi exercitu capitur: moxtamen à rege Ioanne Wainöda dicto recupe-
Hb ij ratur

ratur: atque ita vtrinq; duo illi pro regno Vngariae in annum vsque sequentem & eo amplius diuerso Marte digladiantur. Florentia Hetruria florentiss. Caesarianis auxilijs mensibus plus minus vndecim à Pontifice obsessa & armis ac fame oppugnata, illi tandem deditionem facit, non leui certè ciuium libertatisque iactura. Illic princeps Aurisfacus bellico tormento interiit. Die 8. Octobris, hora noctis vndec. fluuius Tybris subito excrescens non modico damno Romam submersit: & maxima aquarum inundatio Antuerpiae & in Flādia ac vicinis oppidis accidit. Margarita Austria Flandrorum gubernatrix & Caroli Caesaris amita moritur: in cuius locum Imperator Mariam viduam sororem suā substituit. Clemens Pontifex inclementer & inhumane in ciuicis Florentinos sequit.

20

Anno 1531, toto Augusto et vltra in occidente sub signis Cancrī, Leonis, virginis & Libræ Cometes apparuit. Regis Frāciscae mater vinere, desinit. Terrę motu apud Portugallenses tota fermè Lisibona paucis edibus illesis concutitur. Turcæ Sicilia regnū nauali prelio predabundi adoriuntur. Sophi Persarum in Armenia vrbes aliquot Turcarum caput. Ioānna Melitēses pretorijs nauibus sex mercaturā simulantē, Methonem in Peloponneso depredantur ac diri-

Florentia à Pō
tifice expugna
tur.

Romę & in
Flandria ma-
xima aquarum
inundatio.

Terrę motus
ingens in Pon-
tugallia.

diripiunt.

Anno 1532, mense Septembri & Octobri mane
sub Virgine, Libra, ac Scorpione intra tropicos circu-
los Cometa apparuit. Turcarū Imperator Solyma-
nus innumerabili exercitu per Vngariam secundò in
fines Germania ingressus, incendijs ac cadibus gras-
sari cœpit: cui occurrens Carolus Cæsar cum omni-
bus imperij ordinibus, Turcas obsidionem soluere &
retro fugere cogit. 2400 excursorum ad internecionē
casis. Sub hoc tempus Andreas de Auria Genuensis
ex mandato Caroli V. expulsis Turcis Coronem ci-
uitatem Pelopōnessi classe fortissima & instructissi-
ma expugnauit. Mense Nouembri Frisij, Hollādī,
Zeelandi ac Flandrenses improviso & veluti Den-
calionio diluuiio iterum periclitantur.

21

Turcæ & Carol.
Cæs. & Ger-
manis fugātur.

Anno 1533 à fine Iunij per totum Iulium et Au-
gustum ferè sub parte Septentrionali Galaxiæ, Ge-
minos, Taurum & Arietem retro ascendendo. Co-
meta apparuit. Terræ motus insolitus, ac vastissimus
uentus Curiam, Blindentum, Velcurionem, Sangal-
lum & vicinas Rheno regiones circa medium uo-
ctis terribiliter exagitat. Infelix annona caritas Ger-
manos premit. Pontifex Clemens, & Franciscus
Gallorum Rex, Massilia in Prouincia conueni-
unt. Anno sequente, Sophi Persarum Rex

22

Terræ motus
& annonæ ca-
ritas.

cm.

Hh iij

poten

potentissimus, Turcis acerrimo pralio ad Euphratē congregitur & vincit: quam cladem Turca dum infesto cruentissimoque agmine vindicare satagit, à Sophianis interclusus vix vinus effugere potuit. In vniuerso Polonia regno tanta inundationes estate fuerūt vt Cracovia & Casimyræ lapideos pontes & mœnia cum multis edificijs rapidissima aquarum illuiones euerterint. Clemens septimus pōtifex moritur, in cuius locum Paulus tertius adhuc superstes substituitur. Apud Bredanium Brabantia oppidū nonningēta & sexaginta domus fortuito igne mense Iulio exurantur. Reliqua omitto.

Anno 1538, vt adnotauit Heller, Cometa in Piscibus apparuit. Imperatoris vxor vita defungitur. Gandauenses aduersus Mariam Vngariae reginam Imperatoris sororem, & Belgica Cesariana relicticem insurgunt, & suos magistratus capite puniunt. Alia plurima omitto propterea quod à nostra memoria & recenti adhuc recordatione non longè absunt.

Anno 1539, eodem Hellero authore, Cometa sub Tauro visus est, de cuius portentis, & euentis quæ secuta sunt, ideo pauca scribam propter iamiam commemoratas causas. Carolus Cæsar, Francisci Regis fide accepta ex Hispania in Flandriam per Gallias transit, nullo imperatorio ornatu et comitatu: sequēte.

anno

Aquarum illuiones periculosissimæ.

Ignis fortuitus.

23

Gandauensium rebellio.

24

Carolus Cæsar per Gallias transit.

anno cū iusto peditū et equitū exercitu Gandauū ingreditur, vbi præcipua capita morte plectit: maximū aliorum numerum laqueo ad colla inserto suis pedibus aduolui, & suam misericordiam clementissimè implorare imperat. Ioannes Waynōda Vngariæ Rex moritur. Ferdinādus Budam obsidet: à qua Turcico exercitu numerosissimo superueniente funditur & fugatur casus ferè suis omnibus in transitu Danubiū.

Vngariæ Rex
à Turcis funditur & fugatur.

Marcus Manilius ad Augustum Imperatorem.

Ne mirere graueis rerumq; hominumq; ruinas:
Sape domi culpa est, nescimus credere calo:
Nunquam futilibus excanduit ignibus aer.

FINIS.

Ignitorum aliquot

aëris φαινομένων, & euentuum quos insignes
habuerunt Catalogus, per Anto-
nium Mizaldum Monflu-
cianum.

I

Ignis in calo-
excurrens.



Anno post natum Iesum Mariae fi-
lium 165. Lucio Casari Athenis
sacrificanti ignis in celo ab Oriēte
in Occidētē ferri visus est. Per quā
tempora Vologesus rex Parthorū
vicinas sibi Romanas prouincias depopulatus est: &
Seleucia Syriae vrbs cum trecentis milibus hominum
à Romanis capta.

2

Cælū ardēs &
terræ motus.

Anno 398 Arcadio 4, & Honorio Cos. ca-
lum terribiliter ardere visum est, & post ingentem
terræ motum per dies plurimos, ignis super nubem ful-
gere. Rufinus magister militiae orientalis rebellans, à
Stilicone magistro militiae occidentalis perimitur.
Gundo Comes Africæ consueta stipendia Romanis
negat, quem non multo post Stilico interficit, & A-
fricam ad ius pristinum redigit. Gotthi Italiam du-
cibus Hilarico & Rhadagaiso cum ingentibus co-
pjis

Gotthi in Ita-
liā irrūpunt.

pys ingrediuntur, Coß. Stilicone & Aureliano.

Anno 453, signa in cælo varia apparuerunt. Nā
præter assiduam terræ motus, post insignem Lunæ eclī-
psim, vespere ab Aquilone cælum igneum efficitur in-
termistis lineis multis in hastarum speciem confor-
matis. Eo tempore Attila Hūnorum Rex post longā
obsidionem capta Aquileia, Vicentiam, Veronam,
Mediolanum, atque Ticinum pari terrore peruadit,
& multa oppidanorum cæde tandem diripit. Po-
stèa in medias Gallias vi magna & numerofo mili-
te irrumpit: cum quo manus inserit in Catalaunicis
campis post liberatam Aurelianorum obsidionem,
Aëtius Romanorum Patritius, & Imperatoris præ-
fectus in Gallijs, Cui Meroueus Francorum Rex et
eius filius Childericus, Theodoricus itē Visigotho-
rum Rex, & eius filius Thorismundus suppetias fe-
runt. In eo prælio ex vtraque parte interiere ad 180.
millia hominum fortissimorum, inter quos Theodo-
ricus Rex. Sed Attila in Pānonias conuertens, seces-
su quàm successu felicior, salutē sibi fuga redemit.

3
Hastæ igneæ.
Lunæ eclīpsis
& terræ mo-
tus.

Attila à Galliis
fugatur.

Anno 541, in diuersis Galliarum locis, signa di-
uersa apparuerūt. Imprimis visum est cælum magna
parte ardere, & verus sanguis ex nube in vestimen-
ta hominum stillare ac defluere. Ibidem Regum inter
se oriuntur suspiciones & tumultus. Nam Childe-
bertus

4
Cælū ardēs, &
sanguis ab aere
defluens.

250 IGNIT. PHAEN. CATALOG.

bertus Francorum rex à Pharamundo sextus cū fratris filio Theodeberto Mediomatricū rege, aduersus Clotarium Sueffonum regem hostiliter armatur: sed matre Clotilde apud Deum sollicitē satagente, ne tā infestum bellum perageretur, & fratrum concordia dirimeretur, ecce subita in ipso conflictus initio oborta tempestas, acies in agri Aurelianēsis vico, cui nomen est Combrium dispescit: et animos inter discordes compescit ac fraternā paci restituit. Theodebertus cum 18. hominum milibus in Italiam transit & in citeriori Gallia Gotthorum ac Belisarij copias ex improviso dissipat. Alia, quae multa sunt, referre longum esset.

Fratres armatos conciliat mater,

5

Lāceaardēs & in cælo excurrrens,

Anno 555. Lanceae ardentis species in cælo apparuit à Septentrione in occidentem discurrrens. Clotarius cui magnum erat aduersus Saxones & Turingos negotium summa immanitate omnia ferro & igni vastat. Clotildis Regina in Turonibus obit. Narsēs Sophiæ Imperatricis Eunuchus à Iustiniāno cum exercitu in Italiam mittitur, vbi Totillā primū, deinde Thesiam Gotthorū reges superat atque interimit, & omnes Gotthos Italia pellit.

6

Hasta ignea,

Anno 567, hasta ignea in cælo visa sunt. Per ea tempora Sigibertus Mediomatricum Rex, Hunnos profligat: qui per Turingiā signis infestis contra se venerant

PER ANTON. MIZALD. 251

nerant: quod dum facit Chilpericus frater, Sueffonũ rex illius terminos incurſat, & Rhemorum urbem occupat, adeò peſſimè inter fratres conueniebat. Paulò poſt Sigibertus deſertas Saxonum terras dum Italiam peterent, inuadit, & Sueuis habitandas tradit.

Anno 570, Ignea acies in cælo per Italiam viſe ſunt ſanguinem ſtillare. Italia à Longobardis nullo reſiſtente peruaditur, atteritur, & fame ac peſtilentia conſumitur.

7
Ignea acies
ſanguinem ſtil-
lantes.

Anno 580, Ignis per cælũ diſcurrere eſt viſus. Gotthi biſariam diuiſi multa cæde vaſtantur, & Longobardi Alpes tranſgreſſi in Galliam ruunt, ac magna exacta præda cum ingenti captiuorũ numero in Italiam reuertuntur.

18
ignis per cælũ
diſcurrens.

Anno 632, poſt ingentem terræ motum per dies 30. factum, apparuit in cælo ſignum in modum ardētis gladij. Crudelis & cruenta fuit Clotarij victoria contra Saxones, Dagoberto in capite ſaucio. Saraceni Perſas ſub quorum dominio fuerant, vinctunt, et ſue ditionis faciunt. Paulò poſt Muḥammad Saracenorum Ammiras moritur: & inter Rhomanos ac Sarracenos bellum implacabile oboritur.

9
Glad ius ardēs
in cælo.

Ii ij

Anno

IO

Ignis de cælo
cadere visus.

Anno 654, ignis de cælo palàm cadere visus est: unde timor magnus vbique succreuit. Hunc pestilentia grauissima æstiuis mēſibus tribus excepit. Sarraceni Rhodum capiūt vnà cum Aegyptiorum Soldano, & Colossū inter mundi miracula opus insignē diripiunt: ex cuius are nongentos Camelos onerarunt, & in sua comportarūt: duodecim annis perfectum fuerat opus, trecentorum talentorum precio, seu 180000 coronat. ab hoc Colosso Rhodij Collossenſes appellati sunt.

Colossus Rhodienſis.

II

Ignis acies
per totā noctē

Anno 979, ignea acies visa sunt in cælo per totā noctem, quinto Cal. Nouemb. Otho contra Apulos & Calabros bellum mouet: eò quòd Constantinopolitano Imperatori parere non desisterent. Paulo post Greci insensu, quòd Imperator Otho Græcorum prouincias inuaderet, cōducto Sarracenorum auxilio illi congregiuntur in Calabria, vbi Romanorum copis ferè ad internecionem deleta sunt, & Imperator dū natando euadere conaretur à nautis capitur.

Imperator natando capitur.

I2

Facula ardens
terris illapſa
cū magno splendore, & Serpente.

Anno 1000 post horribilem terræ motum Facula ardens cum longo tractu aperto cælo fulguris instar terris illabitur: tanto splendore vt non modò qui in aëre erat, sed etiam in adibus lumine irrupente ferirentur: qua celi fissura sensim vanescente, interim visa est figura quasi serpentis, capite supra ceruleos pedes

pedes excreſcente . Anno ſequentē Otho Imperator Rhomæ Creſcētē Patritium bello aggreditur: quē in fuga captum & victum vili iumento auerſe imponit, circumducit & paulatim membris truncat, ac poſtremò ante urbem ſuſpēdit . Reliqua huius igniti ſpectri portenta (quia longa) omitto.

Anno 1093 poſt inſignem Solis eclipſim Iaculū ignitum à meridie ad Aquilonem per cælum ferri viſum eſt, Gal. Aug. In Gallia et Germania grauiſ hominum lues contigit. De expeditione in terram ſanctā aduerſus Sarracenos deliberatur. Philippus Frācorum Rex Brunduſio mouēs, in Syriam exercitum traducit, & cum Richardo Anglorum Rege caſtra iungens contra Saladinum proſperè bellū gerit. Paulò poſt fames grauiſſimè inualeſcit, ſitq; annus calamitoſus & periculoſus, pauperibus per furta & incendia ditiores nimium vexantibus.

Anno 1098, multis in locis, 5 Cal. Octob. nocturno tempore cælum quaſi ardere viſum eſt: quā rem grauiſſima animalium lues ſequuta eſt, ac ſegetes imbre nimio & rubigine corruptæ ſunt. Chriſtiani in Turcas acriter dimicant . Hieroſolyma 390 die obſidionis, duce Gotthofredo capitur, & Chriſtianis recuperatur: quem dum coronare niterentur obſtinatè renuit, dicēs ſe aureā coronam ferre nolle in ea urbe,

13
Iaculū igniti
diſcurrēns.

Pauperes ditio
res vexant.

14
Cælum ardere
viſum.

Hæc audiant
Chriſtiani pri
cipes.

li iij in

254 IGNIT. PHAEN. CATALOG.

in qua Christus pro nostra omnium salute spineam tulisset: dignum me Hercule ἀποφθίγμα Christiano principe, quod utinam illis tā esset in pectore quā frequens est in ore.

15

igneæ acies ex
currētes & lū
guinea Lunæ
eclipsis.

Anno 1118; Ianuarij 13 Cal. ignea acies à Septentr. Orientem versus in calo excurrentes apparuerunt, quod vnum spectaculum proximo Decembri præcesserat mirabilis Lunæ eclipsis, cuius corpus sanguineo colore totum suffusum erat, ut aëris portenta alia innumera reticeam. Hoc anno initium fuit primi belli Anglici, quod sexcentis fœderibus compositū semper renouatur. Balduinus secundus Rex Hierosolymitanus obit: cui successit Balduinus alter, qui Gaium Persarum regem bello victum interemit, & Damasce norum Ascalonitarumque reges fudit. Ventus vehementissimus tota hyeme insigniter triumphauit de prostratis ædibus multis, & arboribus.

Ventus vehementissimus.

16

ignis immensus in Oriente.

Anno 1121, Ignis immensus in Orientali plaga circa auroram per sex horas flāmas emisit, donec turbo ab Occidente irrūpēs, copioso imbre illū extinxit: sequutus est terrę motus, aliās clementior aliās inclementior. Henricus Caesar ab Anglo socero impulsus, mense Augusto Galliam inuadit, Rhemis multū infensus ob iniuriam ibi acceptam, sed regis potentia, cognita, re infecta domum celer regreditur. Tyrum floren-

florentissimā Phœnicū urbē Christiani capiunt: subsequuntur implacabilem hyemem famēs & pestis.

Fames & pestis.

Anno 1158. Columna igne cæruleo sub turbine in sublime ascendere visa est: in qua sagittæ & lanceæ defixæ conspiciebantur. Grassata est ingens pestis per totam Northmaniam. Alexander Pontifex à Friderico, nimio bello lacesitus, ad Francos refugit: propter quam causam idē Fridericus falsos quatuor Pontifices contra ipsum creauit. Per hæc tempora Philippus regis Ludouici iunioris frater, Parisiensis episcopatus electionem Petro Lombardo cessit, Theologo doctiss. cuius & Episcopi suasu nec non auctoritate actum est & impetratum ut barbæ raderentur.

17
Colūna. igne cæruleo cū lanceis & sagittis defixis.

Anno 1309, flammeum iaculum in cælo conspectum est. Turcis expulsis Hospitalarij D. Ioannis Rhodum capiunt, qui ob id Equites Rhodij postea dicti sunt, sed nobilē eā possessionē, anno 1523, Solymanus Turcarum Imperator post longam obsidionē illis eripuit. Paulò post, bellum in Robertum Flādrig Comitē paratur. Tumultus in populo Parisiensi oboritur propter argentum improbè signatum à Stephano Barbatulo cudēdæ pecuniæ magistro: in cuius aedes violēta sit eruptio, periclitatē etiā nū regē Philip. D. Ludou. filio, ex Flandria Lutetiam reuerso.

Barbarum rasio.

18
iaculum flammeum.

Parisiensiu tumultus ob argentū improbè signatum.

Anno 1352 celestis trabs priore parte ardente per

19

Trabs ardens
& flāma excre-
scens,

per celum excurrere est visa, & sequente anno flamma ingens post Solis occasum inter Zephyrum atque Austrum latissimè excrescere, terribileque incendiū ostentare, ac tādē magno murmure per calum ruerē. Rursum altero ab hinc anno flamma altera longū post se trahens extinctum limitem, à Septentrione in Austrum repente mota est. Infinitus locustarum numerus in Africa Cyproque apparuit: quæ herbarū simul & arborum teneras depascentes frondes, magnam frugum sterilitatem fecerunt: ex qua pestis sauiissima prodijt, & multorum animalium lues innarrabilis. Reliqua omitto.

Locustæ in
Africa & Cy-
pro,

20

Trabs ignita,
iris prodigiosa
& cruces ī So-
le ac Luna,

Anno 1520, trabs ignita simul & Iris prodigiosa apud Viennam Pannoniæ supra turrē S. Stephani unā cum aliquot miri coloris crucibus in Sole & Luna, portentum admirabile & expauescēdum hominibus attulerunt. Per quæ tēpora Solymanus Turcarum Imperator Mysiam superiorem populabundus ingreditur, & in limitibus Vngariæ miserā hominum stragem edit. Belgradum Vngariæ ciuitas Christianorum propugnaculum expugnatur. Bellū inter Carolum Cæsarem & Gallos designatur. Rem Gallicam in Italia affligūt Cæsariani & coniuratione cum Sfortia & Pontifice facta, Mediolanum recipiunt. Duce Borbonio, Hisdinum in agro Morinensi

*rinenſi à Gallis expugnatur, Fons Rabia in cõfinijs
Hiſpania ab iſdem capitur, & Leo Pontifex mor-
ritur.*

His perappoſitè poteris attexere cap. 5. lib. 1.
noſtrę Cometograph. in quo oſtēdimus igni
ta aëris ſpectra antiquis aliquid præſagiſſe,
& certos euentus habuiſſe: ſi modò vera eſt
hitoriarum fides.

Hæc ſunt, optime Lector, quæ ex varijs hiſto-
rijs hic tibi colligere viſum fuit. In quibus dum
verſaris, ſapientiſſimi & immortalis Dei ſummam
(quæſo) bonitatem ſuſpice: qui miniſtros ſuos (vt He-
brais ſcripſit Apoſtolus) ſtammam ignis facit: et de
oſtentis in ſublime appenſis, nimirum vt ab omnibus
videri poſſint, neminem paratiſſimæ ſuæ iræ non ad-
monet: quã niſi precibus, planctu & morum emēda-
tione placauerimus, certa mala dato ſigno ceruicibus
noſtris imminere tã certò credamus, quã quę hic ſcri-
pta ſunt, certiſſimè cõtigiſſe certũ eſt. Itaq; nunc de-
mum tibi (opinor) perſuadebis ignita aëris oſtenta
neutiquam vana eſſe. Quæ ſi de triſtiſſimo proſpectu
& flebili euētũ à patribus noſtris olim excepta ſunt:
ſi Dei indignati arcum triplici Belli, famis, & pe-
Kk ſtis

A Nnotato Iesu Christo secundum collecti, in
quibus Cometa & ignita aeris φαινόμενα alia
his Libris descripta haecenus apparuerunt: ex varijs
Chronographorum & Mathematicorum adnota-
tionibus & calculo.

1 6 5	8 3 8	1 1 1 0	1 4 5 7
3 2 4	8 4 0	1 1 1 8	1 4 7 2
3 9 8	8 4 2	1 1 2 1	1 4 7 5
4 2 0	8 6 8	1 1 5 8	1 4 9 1
4 5 3	8 7 6	1 1 6 8	1 5 0 0
5 4 1	9 3 0	1 2 4 0	1 5 0 4
5 5 5	9 4 4	1 2 6 4	1 5 0 6
5 6 7	9 7 9	1 3 0 1	1 5 1 5
5 7 0	1 0 0 0	1 3 0 9	1 5 2 0
5 8 0	1 0 0 5	1 3 1 4	1 5 2 2
6 1 4	1 0 0 6	1 3 3 7	1 5 2 7
6 3 2	1 0 1 2	1 3 4 0	1 5 3 0
6 5 4	1 0 6 6	1 3 5 2	1 5 3 1
6 7 3	1 0 9 3	1 3 8 0	1 5 3 2
6 7 6	1 0 9 7	1 4 0 3	1 5 3 3
6 7 7	1 0 9 8	1 4 1 8	1 5 3 8
7 2 9	1 1 0 6	1 4 4 5	1 5 3 9
8 3 8	1 1 0 9	1 4 5 6	

Kk 4

MIZALDVS LECTORI

*Si quid habes, Lector, melius vel rectius, et
 Candidus imperti: sin minus, ista feras.
 Hoc lex, hoc pietas, hoc vult Deus, omnia non dans
 Vni: sed iustum quod videt atque bonum.
 Quae mihi commisit Dominus non celo talenta:
 Ut fructum faciant tu quoque prome tua.*

ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΝΤΩΝΙΟΝ ΜΙΖΑΛΔΟΝ

Ἀερολυκίατον Νικολάου πέγιτος Λοθαρίγγου

ἐπὶ γράμμα πρὸς Ἀναγνώστην.

Ἀφικαὺς ῥωμοῦ αἶψα ἐκείνης οὐ λυμπε

ἐμ καὶ λέγεται τῷ σκυπῶν φαῖν.

τῷ περὶ ἐξελθῶν πολλοῖς ἐπὶ αἰνία σφαίρας

κόσμου, καὶ ζώνος πώπε, τὰ ὅρα θεοῦ.

ἢ μάλλον δ' αἶψα φαῖν δὲ λαβὼν δὲ κύκλου,

ὅς καὶ τὸ νομα καὶ χρώμα γάλακτος ἔχει.

καὶ νῦν οἱ οὐτὼ σκυπῶν μετέωρα δ' ὁμοίως

γεῖναι μίζαλδον φαίνεται ἀγχινοῦ.

καὶ γὰρ πέμψω, ὅμαι, φοβόοντα διακτεροῦ αὐτῶν

παντοκράτορ (ὡσπερ πατράσιν ἡμετέροις)

ἐξ ὧν πάντων μετέωρον αὐτὶ ὤκει,

ὡς ὅλως μεροπαῖς ταῦτα διδασκέμεναι.

Δούτ', ἢ οἱ αὐτῶν δὲ λόγῳ σοὶ καὶν ὁ παρὰ

τοιαύτῃ περὶ αὐτῶν πλὴν χείρ, αὐτὰ λαβεῖ.

GVLIELMVS MVSTELA
 Bellouacensis gymnasij Lutetie Archidiaconus.
 Antonio MiZaldo amico optimo
 S. P. D.



*M*irum Antoni *ὁρατὶσσοφί*, quantum me
 recreet ac reficiat frequens assiduq; tua-
 rum lucubrationum meditatio. Pheno-
 mena dico, Meteorologiam, Cometogra-
 phiam, Astrophaniam, Macrocosmi, Microcosmi
 Harmoniam. Luna & Oceani concordiam, Ae-
 sculapij & Vrania coniugium, Eclipsium Aphorif-
 mos. Seleniatricon & alia, de quibus pro tua singulari
 amicitia mecum sepenumero agere soles. In his re ve-
 ra mihi videre videor expressam à te diuini illius ce-
 lestisq; numinis omnium bonorum authoris imagi-
 nem, quam sanè quisquis hic vel *δὲ ἐσσηπτορ ὡ ἀνι-
 γματι* (vt verbo D. Pauli utar) intuetur, ego eum 1. Cor. 13.
 piū iuxta ac beatum esse iudico. Quid enim præ-
 clarius, quid homine, quæ est superni illius luminis ra-
 tionisq; particeps, dignius, quam animum verè ce-
 lestem corporis carceribus, vinculisq; constrictum,
 atque adeò terrenis fœcibus obductum, ad admirabi-
 lem rerum supernarum contemplationem erigere? In
 qua sæpe versari vel potius consensescere, posthabitis
 Kk iij sensuum

Psal. 103.

*sensuum voluptatumque illecebris iucundissimū est. Quod dum facis Mizalde chariss. nobis veluti in tenebris iacentibus faces admoues quibus preglucen-
 tibus nos ad caelestia gradatim, per omnes aeris re-
 giones, commodè deducas. Maeste ista virtute, perge
 vt cœpisti: humi perpetuò cum talpis defossos nostros
 animos & veluti à torpedine iētos, ad altiorum con-
 siderationem excita & erige. Futurum spero vt om-
 nes te ducem veluti manu libenter quo voles sequa-
 mur: qui hanc Cometographiam inter reliquas tuas
 vigilias (quæ quidē adhuc extant) vnice probamus,
 commendamus atque amplectimur: in qua tam per-
 spicua breuitate ignes aërios et caelestes veri Dei sum-
 mos ministros, iuxta illud propheticū, Qui facis an-
 gelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem:
 nobis tam facile demonstras, vt melius antehac nemo.
 Sanè nullus nostrum ignorat inuisibilia Dei per ea
 quæ facta sunt visibilia conspici: nec est quisquam tā
 impius, tamque à sacris literis auersus (in quibus le-
 gendis & meditandis Christianos prorsus totos esse
 oportet) qui non æquo animo ferat se à te & tui simi-
 libus admoneri immensa benignitatis Dei, & sum-
 ma erga genus humanum illis clementia. Qui dum
 cupit homini ad imaginem suam & similitudinem
 facto, bene consultum, per signa celiū immissa, quasi
 per*

per certissimos internuncios illum admonet vt respiciat, mutetque vitam turpiter antea actam in melius:

Agnoscat admireturque sui creatoris bonitatem & vires: memor suae sortis sibi in futurum prospiciat, nihil temerè, nihil incogitanter admittat, quando sacra scriptura diuinitus inspirata, & omnium nostrum salutem respiciens, pluribus exemplis, satis superque docet, nullo alio frequentius quàm igne furorem Domini nostris sceleribus prouocati, vniuerso orbi, aut singulis nunc regnis, nunc hominibus declaratū fuisse expectandumque vt totus mundus ignibus aliquando conflagret. Quae vt exemplis confirmem ostendāque ignes celestes & aërios (de quibus hic agis) non nos non esse nec seculis hisce fortuito natos, tempestiuum est. Dominus Deus dimissurus Mosē prudē-

Exod. 3.

tiß. Hebraeorum Legislatorem in Aegyptum, qui liberaret Israelitas à seuißima Pharaonis seruitute, visus est in flamma ignis de medio rubi, dicens: Sciens dolorem populi mei & videns afflictionem eius, descendi vt liberem eum. Deinde verò haud ita multò

Exod. 2.

post, Mosēs iuxta Dei consilium extendit virgā in celum, tumque Dominus dedit tonitrua, grandinem, ac discurrentia fulgura: sicque ignis & grando dū mixta ferebantur, homines, iumentaque omnia Aegypti obuia interfecerunt. Dominus similiter appa-

Exod. 19.

ruit

ruit Mosi in caligine nubis super montem Synai totum fumis & magno strepitu oppletum, eò quòd descendisset Dominus super eum in igne: & tum ascēdebat fumus ex eo quasi de fornace, eratque mōs omnis terribilis: quo tempore tabulas, in quibus digito Dei conscripta erāt decalogi praecepta, Mosi in manum dedit, ut ea Hebræis interpretaretur ac exponeret.

Genes. 19. Ignem & sulphure calitus demisso conflagrarunt Sodoma, Gomorrha, & vicinæ ciuitates. Iratus

Num. 16. Dominus Hebræis Mosi contradicentibus, igne quinquaginta viros offerentes incensum in templo consumpsit. Idem, Israelitis indignatus, seruitute Aegyptiaca liberatis, dum pro labore murmurans accenso igne postremam castrorum partem perdidit,

Num. 11. Nadab & Abia filios Aaron, quòd contra praeceptum Domini alienum ignem suis thuribulis imposuissent, quo tempore incensum erat offerendum, egressus ignis à Domino deuorauit. Propè innumera sunt alia quæ prudens omitto, ne σπερμολόγος multis videar: hoc vnum tantum adiiciam. Olim priusquā

Leuit. 10. Deus immortalis, humani generis misertus esset, Dominus erat vltionum, Dominus exercituum, presentibus sceleribus, præsentiſſima addicens supplicia, nunc cataclysmo, nunc incendijs, nunc ferro, nunc lapidibus aut aliter. Modò verò
subor

suborta luce, & Euāgelio longè lateque coruscante, sublato omni summo iure, & reconciliatione per Iesum Christum crucifixum nobis impetrata, misericordiarum Dominus & totius cōsolationis pater sua pietate ubique habetur. Vnde quęcunque suo pondere, aut viribus è celo missa obesse possent, in medio librata, & veluti diuina manu supposita nūc nihil nocent. Neque tamen hoc ipso nobis plus equo applaudere debemus, ac nimiam securitatem polliceri, quin imò toto corde ad Dominum confugere, & suppliciter obsecrare ne intret in iudicium cum seruis suis, nec intētatas per aērios ignes ceu per certissima signa irę suę comminationes in nos exerceat. Quod sanè fiet, si sepositis mundi huius sceleratissimis desiderijs, Euangelio constantissimè crediderimus. Hac sunt mi Antoni, quę hic, veluti appendice quadam, tuę Cometographię assuere visum fuit: non vt cōmonefaciam, quin verius vt testimonium aliquod tuę in me beneuolentię apud omnes, ad quos pręsens lucubratio perueniet, candidè exhibeam. Bene vale, & quę premis ac paratissima habes, magno rerum calī ac naturę candidatorum commodo, fac (amabò te) lucē aliquando videant. Ex nostro Bellouacensium gymnasio, Lutetię, Idibus Aprilis. 1549.

EIVSDEM AD EVNDEM

Carmen.

MIZALDE laus gentis tuae:

Larator ille omnis boni

Te aspexit inter gratias.

Interque mille munera,

Secum volitare protinus,

Te in alta iussit sydera:

Vnde in diem nescia quid

Quod scripta spirant hic tua.

Hauisti, reperto transitu,

Linguis perennem posteris

Famam potentis ingeni.

Sic perge: erit celum tibi

Merces, beatorum locus:

MIZALDE laus gentis tuae.

Errata insigniora sic corrigito.

Libro primo, Pagina, 12. Linea, 11. Legendū, interpretem. 13. 1. hu
 mane. 15. 2. 2. plume, 16. 14. frigidum. 17. 10. pruna. 20. 8.
 fitit. 25. 4. agente. 28. 15. plume. 35. 12. comitantur. ead. 24.
 prenuncia. 41. 1. dele, hi. 42. 15. ab ortu per meridiem in occasum
 &c. 53. 3. præ se ferentes, 59. 20. hīrīa. 65. 21. παρῆλα. 78. 12.
 motus. 80. 6. Seu. 82. 21. que. 85. 23. Ne ut he. 89. 16. Ludou.
 duodec. 96. 23. poterat. Libro Secundo, Pag. 116. lin. ult. exonere-
 tur. 129. 11. ἡρώδης, 133. 20. post inuaccata dele, Longobar-
 diam hodie uocant. 140. 3. Aethiopiam. 143. 22. dele, ad. 144.
 9. qua. 150. ult. motu. 154. 17. uel cum ex &c. ead. 20. proces-
 serit. ead. 21. prolecerit. 156. 30. promissa. 162. 2. supra quadrag-
 quintum. 165. 7. supra nonages. quartum. 168. 12. cum Crescente.
 172. 19. hic. 173. 14. anno, 1380. 175. 24. miraculis. 176. 10.
 erit stella, uel &c. 177. 12. Selenitrico, ead. 10. uitam. ead. 11.
 urfis. ead. 16. penes se habere si intell. 179. 3. prestabuntur. 183.
 per. ult. Carolum quintum imperat. 192. 52. dele, uiam. ead. 15. emi-
 cuisse. 196. 13. post recuperauerit, addo, uel, ut mihi uidetur, postre-
 mas, in quibus Venerorum sedes. ead. 17. pro trino, lege opposito.
 205. 9. pro Hosce, esse. 231. 12. numerorum maiusculæ suos &c.
 240. 13. forma &. 242. 13. triangulari. 243. 20. uocat. 252. 23.
 erant. 253. 22. 30. 254. 3. pro, illis, lege omnibus. 261. 9. Macro-
 cosmi & Microcosmi. 264. 13. marmararent.

F I N I S.





